FLAGELLUM HEBRAEORUM SUPER IUDAICAM PERFIDIAM...

Francesco Carbone

Digitized by Google

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V.E. II
8
53 A
8
ROMA
Digitized by Google

8-53-A 8

A11 c 198 f 2n

Digitized by Google

Digitized by Google

FLAGELLVM HEBRÆORVM

Super Iudaicam perſidiam Prophetarum iaculis tabefactam,

A FRANCISCO CARBONE GYMNASIARCA

Selectum, & tribus Libri per capita diſpoſitum ad ſingulorum vtilitatem in Redemptoris Noſtri Ieſu Chriſti Meſſia probationem.

OPVS DIGNE SACRATVM

Nobilibus, & Sapientibus Viris D. D.

IOANNI CAROLO.

[redacted]

VICENTIO

Grimani Fratribus.

Chriſtianæ Religlionis auctificis, ac Venetiarum Reipublicæ Filijs decoratiſſimis.

Edictio Secunda.

VENETIIS M. DC. LXXVII.
Typis Stephani Curti.

Superiorum permiſſu.

Pertinet ad Conventum [redacted] S. Franc. Trans Tyber. Roma 1685.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſs. Domini Domini Mei Colendiſſimi.

NE premat mentem ſtupor, ſi in præſens incomptum hoc opus glorioſiſſimo Nomini veſtro dicare auſus ſim: veſtra enim Animi, Nominis, Virtutiſque eximia amplitudo Famæ alis innixa totum per Orbem Terrarum adæò feliciter peruolauit, vt ſicuti ſingulorum in hac Vrbe vota, menteſque in veſtri venerationem coegerit, ita me ſponte tantorum Heroum reuerentia ductum dulci quadam violentia immpulerit hanc ex grauibus ſelectam Auctoribus lucubrationem Nominis veſtri

 cla-

claritate inſignire; Nec id temeritatis nota deſignari hæſitabo, licet cunctis prorſus meritis penes Vos deſtitutus, ſciens non aliunde fortiùs ſeruari poſſe FLAGELLVM, HOC HEBRÆORVM *quàm à fortiſsima tum Fide, tum Sapientia manu veſtra Virtutum, Chriſtianæque pietatis exemplar indicante; Cùm enim ad Chriſti Crucifixores* FLAGELLVM *mittendum reamur, quis mihi hoc tribuat vt aptis funibus nectem, niſi* GRIMANORVM *Nobiliſsima Domus (vt vulgò dicitur)* SPAGO *ſtrictiùs in agat? Tali confectum robore ſuũ ſortietur effectum; nec timendum quin vulneret, immo potiùs infringat duriſsimam eorum pertinaciam; & meritò quidem Crucis contemptores horrebunt,*

cùm

Digitized by Google

cùm Stemmatis veſtri Crucem à fronte FLAGELLI conſpexerint. Nunc Iuuenalis dictum (Stemmata quid faciunt?) ſuum reſponſum habebit; Signo Salutis vincũt. Talis Gaudens ſigno Eccleſia canit; Vexilla Regis prodeunt: fulget Crucis Myſterium. Ipſa Crucifixores Nobilium Cruciferorum Crux præclara cruciabit. Eximiam itaque GRIMANORVM familiam quis venerari non poterit? Quis Sereniſsimi Antonij olim Venetiarum Principis encomia ſilebit? ipſe bis Legatus, bis Procurator, denique Dux tot decoratus meritis, tot inſignitus honoribus non moritur, viuent enim per ſæcula penes Romanos, Galloſque, nec non cæteros Orbis Regnantes commendabilia tanti Principis geſta; Cuius pruden-

tiſsimi Filij, & Virtutis, & dignitatum hæredes ſpecioſa Genitoris veſtigia ſectantes merita comprobarunt. Vbi Marinus qui Romæ nimio ſub honorum pondere lapſus expirauit? nonne ſtudioſis voluminibus, & antiquioribus infiniti valoris ſimulacris Procuratoriam Diui Marci Bibliothecam decorauit? vbi quot volumina tot voces, quot Auctores tot teſtes, quot ſimulacra tot oracula tanti Senatoris Sapientie, pietatis, & morum: non moritur; viuit amor in Patriam. Vbi Petri digniſsimi Equitis fulgor? ſatis ſit ipſum Angliæ Priorem primò præbere, Pannonijs clarum, Germanicis, vltra Danubium, denique Reipublicæ inenarrabili munere affectum: non moritur; Viuit Patriæ decus. Vbi ad Chriſti gloriam Sacratiſ-

ſimus

ſimus Eques, Romanæque Sedis glorioſiſſimus Princeps? datur in in trino perfectio: Dominicus tertius ipſius Principis Natus altiùs euolare videtur, nam Legatione functus ſummi Rectoris nutu ad Federicum Imperatorem, quid egerit non calamus ſed Fama conſcribat; ipſe enim, & Aquileiæ Patriarchatus, & meritiſsimi gratia Cardinalatus, quis fuerit valde teſtantur; non moritus: Viuit Eccleſiæ decor. Vbi Marci Procuratoris honores? is itidem Aquileienſis Patriarcha, Summique Ponteficis Dux Generalis contra Turcicas claſſes bellator, expugnator, & Victor Romanam reparauit Eccleſiam, Venetam auxit Rempublicam, Grimanorumque familiam decorauit. Vbi denique ex illis non diſsimiles? vixerunt,

& mortui ſunt, viuunt, neque moriuntur: Sapiens mortem neſcit. Non mirum quidem talia Genitores veſtros geſta geſsiße (PRÆCLARISSIMI FILII, NOBILISSIMI HEROES) cùm tales ipſi fuerint In vos mores veſtri fatentur: Inſtar enim Cæli Domus Veſtra fulgebit tot Virorum præſtantium Syderibus colluſtrata, tot meritis dignitatibus ampliata; Vobis ergo laudes, Vobis honores: Vobis non altari digniùs ſacrari LIBELLVM liceat, ſit æquum. Fouete quæſo quod ſummæ veſtræ benignitatis eſt, ac tueamini hoc meum qualecumque ſit opus, vt in Vobis tutum præſidium ſe nactum letetur, veſtroque digno patrocinio fulciri mereatur: Et quamuis Magnitudini veſtræ impar ſit munus

nus ; altiſsima tamen Animi veſtri probitas, ac ſimul benignitas ſolita æquitate perpendent, nempe, Munera non ſuo prætio, ſed animo offerentis æſtimanda: Corda enim veſtrum potius Virtutis quàm auri Principum eſca nutriuntur; Diuitijs namque imperare, non parere ſtudetis; In Vobis mirificè vetus quæ aruit ipſamet Principum benignitas floreſcit, & Alexandri liberalitas, & Licinij largitas, & Numæ clementia, religio, maieſtas, & amor, ac tandem Virtutes omnes in unum colectæ omnium perfectionum Iconem in Vobis nobiliſsimè effingunt : Hilari igitur fronte hoc meæ deuotionis pignus excipere ne dedignemini, eo enim maiori quò poßum obſequio in ardentiſsimæ ſeruitutis meæ ſtudium erga Amplitudinem Ve-

ſtram cunctis ex me prælatam, ſacratum volo, ut ſub auſpicijs tantorum Mecenatum in lucem prodeat ab omni iniuria, atque calumnia vindicatum. Opuſculum hoc meum, quod Filij Dei doctrinarum gemmis contextum vobis{deuotiſſimè elargior}, in pectore honoris gratia geſtare vos cupio, qui eiuſdem Chriſti Crucem in Stemmatem honorificè geritis; Sub umbra alarum veſtrarum tali patrocinio lætetur, quod voluntatis meæ dilectionē æternæ ſeruitutis honore afficiat; Nec ob id maxima loquentis audacia damnetur; honores enim collati in vobis ipſis fulgebunt, nam honor eſt honorantis. Sol ipſe Planetarum Princeps, & pauperum tabernas, abditoſque receſſus, & ſublimes Regum Turres æquè radijs ſuis colluſtrare, beni-

gne-

gneque fouere non recuſat. Donec igitus Nectoreos annos tota mentis ratione Vobis auſpicor in Redemptoris Reſurgentis Paſchalem celebritatem, cuius glorias in præſenti Tractatu contra infideles percipitis, Nobiliſsimæ Domui Veſtræ ab ipſo cuncta bona procedant, ut meritorum veſtrorum ſplendor ad cunctorum ſolamen eluceſcat; quibus humiliter, ac demiſſè me dico. Valete.

DD. VV. Illuſtriſs.

Humiliſſimus, atque Addictiſſimus æterna ſeruitutis vinculo

Fránciſcus Carbonus.

Digitized by Google

Ad Chriſtianum Lectorem.

PRÆFATIO.

NVlla (Benigne Lector) admiratione præcurras, cùm videas in Capite Libri exiguum paruæ exiſtimationis Auctorem; argumenta enim, & operis huius magnitudinem non mea,ſed Veterum Scriptorum mens protulit; Ego enim ex multis, quæ perlegere potui in hoc genere ſcribendi grauium, ac melioris notæ Auctorum operibus, quædam fortuitò inueniens antiquiſſimis ſcriptis ne dicam, an enigmaticis fermè, caracteribus tradita, quorum maximam partem tempus deleuerat; non abſurdum putaui meliori quo potui modo colligere ,eaque (non paruo adhibito labore) per multis exemplis, interlocutionibus, & Prophetarum diuinationibus, ãpliata; Tribus Libris per capita diſpoſitis, ad æternã Dei gloriam in lucem gentium procedere; Vt quæ tot ſæculis ſiluere grauium Virorum monumenta, modò glorioſiùs inſurgant, nec minori robore ad

ex-

expugnandam Iudæorum perfidiam proficiant,& proficiendo vincant; ſicuti olim legitur profeciſſe ſuper multorum conuerſionem ex Iudæorum genere, ipſiſmet argumentis obtentam. Tractatum itaque præſentem FLAGELLVM HÆBRÆORVM, nuncupatum vt cælicum munus accipito; ortum enim habet ex ore electorum à Spiritu Sancto, ſcilicet illorum, qui olim Rabini ſapientiſſimi Prædicatores fuere in Synagogis, qui poſtea exacuerunt linguas ſuas in traditione Catholicę Chriſti Fidei contra ipſos Hebræos; & veram Paradiſi ianuam patefecere. Super horum ergo doctrinam operam diligentiſſimè meam interponere ſum conatus, vt clariori methodo illuceſcat; Nec auidus gloriæ hunc lapidem moui, vt in ore Mortalium nomen meum viueret (quamuis Marci Tullij ſententia, Nullus vir probus eſt, quin cupiditate gloriæ trahatur, & omni ſtudio in Poſteriorum memoria viuere non laboret) nullam enim mihi laudem, nec vtilitatem ſtudui, ob hanc editionem; immò potiùs commune commodum, quàm priuatum honorem inſpexi, cùm opus hoc typis traderem, iuxta illud Diui Pauli: Omnis Scriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in Iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus; ex quo non dubito quin opus hoc fracturum ſit cordis hebræorum duritiem; qui mundum totum labefactan-

tes

tes in cæcitate corrunt ; donec legentes intelligant Mundi Saluatorem Meſſiam Ieſum Chriſtum fuiſſe. Nam Summi Dei Bonitas, immenſus Amor, & Charitas poſt primi Parentis lapſum, vt ad viam rectam populum ſuum errantem reduceret, ſummoperè commiſerans, poſt tot Sanctorum Prophetarum documenta, cùm temporis plenitudo acceſſiſſet, vnigenitum ſuum Filium ſibique coæternum tradidit Magiſtrum, & Ducem ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis; Sic enim Deus dilexit Mundum, & Filium ſuum Vnigenitum daret, &c. Mundum dixi, ſcilicet hominem, qui Microcoſmos, hoc eſt, paruus Mundus nuncupatur; Cùmque immenſus, & infinitus ſit ipſe Deus, infinitum, ac immenſum dilectionis ſuæ nobis præbuit Argumentum: Vult enim omnes homines ſaluos fieri, hoc quoque de Hebræis intelligens, quos non excipit ad Gloriam ſuam Paradiſi, donec pænitentia ducti ex aqua, & Spiritu Sancto renaſcentes iter ſibi adaperiant. Populus hic quaſi ouis, quæ perijt abiectæ ſeruituti ſubiectus, infelici diſperſione abiectus, cùm à recto tramite aberraſſe cognouerit, audiet vocem Domini per os Zaechariæ, dicentis; Conuertere ad me; & ego conuertar ad te: Conuertere de vijs tuis malis, & decogitationibus tuis peſſimis: & alibi: Quacumq; hora ingemuerit peccator ampliùs ſuarum iniquitatum non recordabor;

No-

Nolo Mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Item Hieruſalem Hieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuum. Vocat in Libro iſto Chriſtus Hebræos ad viam mandatorum ſuorum, vt qui peccati ſomno oppreſſi, tamquam Helias itinere incredulitatis fatigati, ſub Iunnipero obſtinationis detenti, Angelica huius Operis Tuba experfactis ſub cinericio pœnitentiæ pane, & aqua Sapientiæ refocillati certo ad Montem Dei greſſu proficiſcantur, immò tamquam prodigus Filius poſt diſſipatam ſubſtantiam gratiarum Dei Patris, aſpera nondum mundi, ſed Diaboli ſeruitute ſoluti, in ſe denique reuerſi, dicat vnuſquiſque ipſorum ex corde; Peccaui in Cœlum, &c. ſurgam, & ibo, &c. nè (ceſſante inſtructone noſtra) laguentes ad probapticam Baptſmi Piſcinam poſt longeuum tempus naturæ, & legis dicant, Hominem non habeo, qui me proijciat in piſcinam; Sed ore rotundo vna voce clamantes benedicant Saluatorem, dicentes, vt in Scriptura ad Hebræos primo: Multifariam multiſque modis olim Deus locutus eſt nobis in Prophetis, nouiſſimè verò locutus eſt in Filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, & per quem notum fecit ſalutare ſuum. Item: Apparuit Benignitas Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui pro liberandis omnibus venit: exultemus: Munus ergo noſtrum impleamus, & qua Deus nos Charitate dilexit, Pro-

xi-

ximum ad inuicem diligamus. Hunc igitur ea mente Librum edidi ad Summi Dei gloriam, & honorem, atque ad Fidei noſtræ exaltationem dumtaxat. Excipe (Benigne Lector) ad animæ ſolamen opus hoc vitiliſſimum, & qui Sanguine Chriſti redemptus Crucifixores in ſinu habes, niſi euerſos, ſaltem conuerſos hoc volumine cures Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris: Corrigere ipſos tenemur, qui fratres noſtri ſunt, & correctione noſtra ſaluari poſſunt. Non ſine fructu hic labor erit, Multum enim vtilitatis allaturus videbitur. Gratias Deo, ex quo omne datum optimum, & omne donum perfectum; Cùmque ex me (Dei nutu) hic labor procedat, nullam mei rationem habeas velim, infirmus namque ſum, homo paccator, immò ſum vermis, & non homo. Quicquid enim feci in hoc genere, feci Amicorum rationibus adductus, quorum deſiderio in hoc ſatisfacere volui; Honeſta poſtulatio; negotium non paruę vtilitatis duxerunt; Quid enim Deo, Chriſtianæque Reipublicæ gratius quàm infideles ad Euangelij veritatem inſtitui, & lumine Spiritus Sancti illuſtratos Eccleſiæ reſtitui? quod cùm ita ſit nemo mihi vitio verterit, ſi imbecillitas mea à priſcis Scriptoribus mendicauerit Doctrinarum funes in HÆBRÆORVM FLAGELLVM. Sapientium virorum obiurgationem non expecto, ſicuti inuidentium, ignorantium, & detractorum:

Iſti

Digitized by Google

ſti vitutem non cognnſcunt, ideò deni-
grare virtutis amantes nequeunt; illi ve-
ro in Roſis aliquam erroris ſpinam pa-
tientur, cùm ſciant non dari perfectio-
nem niſi in Deo; præ oculis tamen habe-
bunt LVDOVICI CARBONI Epiſc.
(cuius germen ſum ego inſigna Volumina,
ac Sapientiæ monumenta typis in mdiù
mandàta; tùm Rectoricis, tùm Philo-
ſophicis, tùm denique Thologicis, cæte-
riſque huiuſcemodi editionibus excellen-
tia, quorum ſplendor in paruulo Carbo-
ne nigredinem abolebit; reſpectu quo-
rum me extintum Carbonem fateor, il-
la namque per ſæcula vt Stelle lucebunt,
mea verò eadem qua acceduntur die ex-
tingui ex paueſcunt; Sed calore prote-
ctionis tuæ (amice Lector) reuiſcere,
ſperans, gratum fore tibi, cunctiſque
malignantium inſidijs vindicatum hoc
opus confido. Patebunt in hoc Argumen-
ti genere omues tationes excogitabiles,
quæ Iudæorum fundamenta obruere poſ-
ſint, ad eorum conuinciendam perfidiam,
ſingula ſingulis ad fortiori impugnata,
nulla contradictione penitus remanente.
Hanc igitur diſciplinam (quæ, qualiſ-
que ſit ſatis patet ex tutelari Numine,
cui nouiſti dicatam) in eorum vtilitatem
conſtitui, quos ſi probari intellexero quem
ſpero fructnm expecto. Labor quidem
hic non dubito quin futurus ſit Deo per-
gratus ideoque hominibus, qui ad illius
laudem, & gloriam cuucta procedere,

cu-

cupiunt; Cui perpetuò mentem, rationem, omniaque ex me promanantia ſubiecta eſſe volo; qùi nos benedicat, & infidelibus lumen veritatetis oſtendat, dum dixit: Non veni vocare Iuſtos, ſed peccatores. Tu me igitur viciſſim, vt ſpero, affectu bono proſequere, imbecillitatis meæ experimentum tuere, ac ſanctis tuis precibus conſolare. Vale.

Digitized by Google

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per Fede del Padre Inquiſitore nel Libro intitolato *Flagellum Hebræorum ſuper Iudaicam perfidia à Franciſco Carbone Selectum* non eſſerui coſa alcuna contro la Santa Fede, Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza à *Steffano Curti* di poterlo Stampare, oſſeruando gl'ordini, &c.

Dat. a'2. Febrar. 1671.

{ Aluiſe Contarini K. Procur. Ref.

{

{ Piero Baſadonna K. Procur. Ref.

Angelo Nicoloſi Segretario.

In-

Index Notabilium in Libro Primo.

De ſynagoga, & eius errore. pag. 26
De Comeſtionibus, & quomodo intelligatur illum preceptum. 28
Ceſſat preceptum illud Comeſtionis. 29
Significatio, & figura Animalium de quibus vetitum eſt veſci hebrais. 30
Permiſſio generalis Ciborum, 34
Dura olim Lex erat. 31
Vltimo antiqua, 32
Ceſſauit Vltio poſt Aduentum Chriſti Meſſia. 32
De Aduentu Chriſti Meſſie. 61
De Aduentu Chriſti in die nouiſſimo. 66
De his que futura erant circa Meſſiam. 87
Perijt Sapientia Hebraorum in Lege. 32
Quis ſit ſenſus verus Legis. 36
Damanantur obſeruationes, & Caremonialia habraorum. 34
De nouo Teſtamento. 35
Cauſa cur Deus pactum antiquum deleuit Hebreis, 37
Finis precepti Legis eſt Caritas. 38
Quodnam ſit Crimen producens ignominiam hebrais. 39
Reedificatio Hieruſalem per Dauid expreſſa quid ſignificet. 45
Prophetia diſperſionis hebreorum. 40, 41
Captiuitas hodierna hebreorum. 412
De cunctis Captiuitatibus. 71
De Captiuitate prima Hebreorum. 106
De captiuitate Secunda cum maledictione. 107

Tem-

Digitized by Google

Tempora, & effectus cauſę captiuitatum Iudęorum. 120
De Prædicatione. 51
De Idolis. 52
De Iuſtis. 55 61
De Antichriſto. 123
De Machometo. 52
De Semita Diaboli. 56
De via Nauis exemplum. 58
De Volatu Aquilæ exemplum. 58
De Muliere Mecha exemplum. 60
De Sceptro Iudæ. 91
Ego ſum vermis, & non huomo quid in perſona Chriſti ſignificet. 53
Figura Trinitatis Dei. 62 103 136.142.244
De Conceptione Chriſti figlij Dei. 63.74
Signum magnum Natiuitati Meſſia. 75
Meſſias Deus fuit, & homo. 64.80
Varia obiecta circa Meſſiam. 66
Chriſtus eſt via vita. 86
Viſio Danielis de tempore Meſſia. 192
Chriſtus veritas eſt. 95.114
Chriſtus Saluator, & Redemptor Mundi. 98
Chriſtus pacem portauit. 100
De figuris Paſſionis Chriſti. 163.148
De imaginibus Sanctorum, & Trinitatis Dei. 56
Beneficia Dei ad Hebræos. 86
Perſecutio Hebræorum contra Chriſti fideles, e Eccleſiam. 85
De Deſpectione Hebræorum. 73.74
Oratio pro hebrais. 98
Stimulus pertinacia Hebreorum. 126
Conuerſio Cuiuſdam Rabi Sapientiſſimi ad Chriſti fidem. 125

De

Digitized by Google

De miraculis Dei in conuerſione eiuſdem Rabi. 133
De Baptiſmo. 48 99
Profeſſio Fidei in Baptiſmo. 127
Fidei fructus. 129
Fidei robur. 132
Vera eſpoſitio Pſalmi Miſerere mei Deus. 97
Quale requi at Deus Sacrificium. 111
Quid ſit imponere ſuper Altare vitulos. 113
Variæ ſunt opiniones in Scripturam expoſitiotione, ſed finis vnus. 109

Index Notabilium in Secundo Libro.

VTrum Meſſias venerit, & quis ille. 149
Falſa opinio Iudæorum de Meſſia 151
Humilitas Chriſti. 153
Chriſtus petra fuit. 153
Aduentus Meſſiæ. 154
Natiuitas Meſſiæ, qui fuit filius Dei, & Mariæ Virginis. 155
De Renouatione Legis, & mortuum, per Chriſtum miraculis confirmata. 160
Pertinaci Hebræorum. 161
De Ignoratia Hebræorum, & priuatione veræ intelligentiæ in Lege Dei, quæ cauſat diſperſionem eorum æternam. 162
De reprobabione Iudæorum abſque remiſſione. 164
Vana ſpes Hebræorum. 267
Figura reprobationis in filijs Gomer. 167
De Baptiſmi figuris, & eius effectu. 168
De Ioanne filio Zachariæ Chriſti Nuncio, &

per

per Baptiſmum Regenerante. 170
De Flumine Iordanis. 172
De Spretu Iudeorum in Chriſtum, & de eius Paſſione. 174
Chriſtus Agnus Dei. 176
Honor Crucis. 146
Occultus vane Chriſtus faciens miſericordiam, & paſſus eſt quia ipſe voluit. 179
De quatuor peccatis Hebraeorum. 179
Voluntarim obierunt ſententiam hebrai ad luendam Sanguinis Chriſti pœnam. 180
De Reſurrectione Chriſti. 181
De eius Aſcenſione. 182
De Trinitate. 183
Epigramma Trinitatis. 184
Vocatio Hebreorum. 186
Quomodo Chriſtus veniet ad iudicandum in die nouiſſimo. 188
Perfidia Hebraeorum. 190

Index Capitum Libri Tertij.

Quis ſit finis à Deo Nobis prapoſitus. 192.
De Cauſa Captiuitati huius Hebraeorum. 194
De Circumciſione, & Caremonijs. 196
De nullitate Legis Hebraica, & aterna deſolatione. 198
De Vana ſpe libertatis & ſalutis. 200
De Securitate captiuitatis aterna, cui nemo Prophetarum pradixit terminum. 202
De quarto peccato filiorum Iſael quod fuit Chriſto occiſo. 204
De manifeſta Iudaerum damnatione o Chriſti

ſti crucifixionem. 206
De ira Dei æterna ſuper illos. 2 8
De primo Aduentu Chriſti. 210
De ſecundo Aduentu Chriſti. 211
Chiſtus Saluator Mundi per Baptiſmum 214
De exaltatione Filij Dei. 217
De proprietate Dei vt homo circa eius exaltationem. 218
De aſſũptione in Cœlũ pluriũ Sãctorũ Dei 220
De Sacerdotio Chriſti. 221
De Cæcitate Hebræorum. 222
De Incredulitate, & pertinacia iactura. 223
De electione Hebræorum ob ſpretum Nouæ Legis, & Congregatione Chriſti fidelium. 226
De benedictione Dei in Chriſtianos, & maledictione in Hebræos. 229
De Prædicatione Nouæ Legis. 230
De electione, & fructu Apoſtolorum Chriſti. 232
De Sacrificio Nouo. 237. 248
De Sacrificijs Hebręorum, quæ Deus rep. 238
De Sacrificio Azimorum. 240
De Sacrificio Aquę. 241
De Sacrificio Panis, & Vini ex ore Prophetarum prędicato. 243
De Catholica Eccleſia. 245. 249
De Synagoga, & euis indignitate. 247
De ignorantia Hebręorum in Lege. 250
De Muſicali laudis Sacrificio in Eccleſia diuinitus pręordinato. 252
Apoſtatę facti ſunt Deo Hebręi, ideo inexcuſabilibus culpa inuitabilis pœna. 254
Saraccinorum laudabilia dicta de Ieſu Chriſto, & Maria. 258
De Alcorani, & Euangelij vi ad arguendum Hebręos. 260
Oratio Auctoris ad Hebręos, 262

FINIS.

FLA-

Digitized by Google

FLAGELLVM HEBRÆORVM.

Liber Primus.

Proœmium.

OMnipotens Summi Dei Miſericordia, quæ in Perſonam Filij Domini noſtri Ieſu Chriſti Orbem Terrarum impleuit, & in ſingulos dies mirabilia facit, vt magnificentur Nomen Dei in Gentibus, qui ex ore infantium, & lactentium perficit laudem propter inimicos ſuos, vt Redemptionis fulgeat Miſterium inſpirauit in Cor Igneti Contardi Mercatoris, vt Sapientioribus Iudæorum Magiſtris talia obijceret, quæ nullam reſponſionem admitterent, eadem Doctrinæ vi, quam à Patre perceperant, qui fuit in Sinagogis eximius Prædicator, demum Veræ Fidei lumine ductus, in Sinu Sanctæ Matris Eccleſiæ recumbens ipſam Chriſti fidem docuit, & auxit: Nec mirum quidem ta-

Digitized by Google

lia Mercatorem(Dei nutu) egiſſe ad Conuerſionem Animarum ; Cælum enim Simile fecit Deus homini negotiatori;Et ipſa Argumentorum vis Mercatoris eiuſdem violenter Cœli gloriam rapuit ad Iudæorum ſalutem;vt ſcriptum eſt:Regnum Cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Cordis ergo tenebras ipſius populi errantis Mercator fugauit, qui Spiritu ſancto afflatus, vt in præſenti Libro habetur, perfidiam Hebraicam depreſſit, & ſuperauit; Nec ipſi difficile fuit errores ad impijs euellere, cum experientiam ſibi Magiſtrā habuerit, re ipſa cognoſcens Synagogam Satanæ, & impietatis exemplar, falſitatis Auctricem, ac miſeriarum Chaos, vbi ſeducuntur ſimplices, vana ſpe aluntur errantes, & in portu ſalutis cæcitate miſerabili perunt; Vnde non errauit qui dixit, Hebræos Mundi peſtem, cæcos claudoſque Iebuſæos, Veritati contumaces! Dei, Chriſtianæque Fidei proditores, cæterarumque virtutum inimicos; ad quos vani fuerunt tot Chriſtianorum monitorum labores, tot Prædicatorum ſudores, tot Sanctorum clamores. Quid eorum Cordibus durius? quid eorum mente aſperius? quid eorum feritate ferius? ex hoc verò ipſorum miſeria dignoſcitur, quòd in punitionibus Dei ſunt, & non horrent, in perditionis viam per ambulant, nec reuertuntur; diſperſionem vident, nec expaueſcunt! Arguendum eſt igitur Maledictionem Dei ſuper eos cecidiſſe; & iram Altiſſimi oculos eorum

ve-

velaſſe. Itaque ſuperſtitioſè vitam ducunt, damnatas ceremonias venerantur, & falſam Doctorum diſciplinam ſectantur: Tali cæcitate ducuntur de quibus dici poteſt, Cæcus cæcum ducit, & ambo in foueam cadunt; Temporaliter enim intelligentes Prophetarum Doctrinam, de ſpiritualibus non loquuntur ſcientes fruſtra laborare Cor eius in Diuinis, qui Diuinitatis perſonas negare inducuntur.

Ad horum ergo correctionem Ignetus diuinitus datus, Mihi ſortem obtulit, ex eiuſdem breui tractatu vt in lucẽ expoſuerim Dialoghum ſequentem, Flagellum Hebræorum nuncupatum; Scito itaque tunc temporis eueniſse, quod quidam Iudæus qui publicè vocabatur Rabi, qui & ipſe Magiſter erat Iudæorum veniſset ad Logiam Genuenſium, & diceret: Benè vobis Chriſtianis eſt, qui in feſtiuitatibus veſtris poteſtis facere quæcunque vuultis, & placet vobis; Nos autem Iudæi non audemus aliquid facere in noſtris feſtiuitatibus, obſeruantes Mandata Moyſis, quæ vos Chriſtiani frangitis, & maximè in Cibarijs veſtris, quià contra Legem comeditis Carnes porcinas, & alias carnes, quæ comedi in Lege Domini ſunt prohibitæ; Cui per aliquos Genuenſes reſponſum fuit. O'Rabi in quali vanitate verſaris! Huc veniſti, quià vides non adeſse Ignetum, & ideo de Lege tua loqueris; ſed ſi vidiſses Ipſum, his verbis non vſus fuiſſes, quoniam vidimus te aliquando loqui

cum illo, & non potuiſti contradicere, neque reſiſtere ei. Iudæus reſpondit dicens: Per Deum Ignetus vt Mercàtor ſapit, de Lege verò nihil ſcit. Et cum hæc ſimul loquerentur, ecce prædictus Ignetus ad Logiam acceſſit,& ſtatim vocatus fuit ab illis Mercatoribus, & dixerunt ei: Benè veniſti Ignete, quæſo defende nos ab iſto Rabi, qui tam elatè loquitur? Ignetus verò accedens ad Iudæum ſeorſum duxit, veritatem exploratam ei explanaret:& hic ortum habet Dialogus noſter vt ſequitur.

CAP. I.

De Comeſtionibus,& quomodò intelligatur hoc præceptum: de ignorantia Hebræorum in Noui Teſtamenti Lege, & eorum ignominia ac damnatione.

Notab. ceſſat preceptum illud commeſtionis num.1. ſignificatio animalium nu.2. Dura olim Lex erat num.3.Vltio antiqua num.4. Ceſſauit vltio num.5. damnantur obſeruationes, & ceremonialia nu.6. verus ſenſus Legis n.7. Permiſſio generalis ciborum nu.8. Nouum teſtamentum nu.9. cauſa cur Deus pactum deleuit Iudais nu.10. Finis precepti legis nu.11. Crimen Hebraorum nu.12. Prophetia diſperſionis num.13.

CVmque acceſſiſsent ad locum, vbi nonnulli aderant de Lege ritè ſentientes, cœpit Ignetus loqui dicens; quid tardàs ò Rabi ad accipiendum Baptiſmũ? ecce

ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis; bonum eſt vt baptizeris,& ſaluabitur anima tua. Reſpondit Iudęus. Quomodò poſset ſaluari anima mea? immo perderetur. Nonnè vos Chriſtiani contrà Legem Dei in comeſtionibus veſtris facitis, comedentes carnes porcinas, aues, & piſces, videlicet ex his, de quibus manducare per Legem prohibitum eſt; ſcilicet de beſtijs, quæ non ruminant, & quæ non ſciſsas vngulas habent, auibus quæ diſtortas vngues habent, ac piſcibus ſine ſquamis? de his omnibus vobis manducare prohibitum eſt: ideo contra Legem factam à Deo Moyſi datam agitis. Ignetus Reſpondit Ruminare in lingua veſtra hæbraica diſcernere ſignificat, vnde ego qui ruminare ſcio tibi dico quòd omnia præcepta Moyſi data (præter illa decem Decalogi) non erant ſemper duratura,ſed tantùm vſque aduentum Meſſiæ, quia Leges ceremoniales erant, & figurabant ipſum Meſſiam, vel facienda ab illo, vel quæ circa illum fienda erant; & quia adueniente Figurato ceſsat Figura; ideò 1
poſt Aduentum Meſſiæ, quæ Leges illæ figurabant ceſſauerunt; ergo non peccant Chriſtiani comedēdo illos cibos tunc prohibitos, cum ipſe Chriſtus qui verus fuit Meſſias (vt tibi clarè probabo) multoties talem comeſtionem permiſerit, immo multa alia præcepta ceremonialia inobſeruata reliquerit; nec dici poteſt quòd ſit mutatus Deus, immo firmus, & conſtans

in voluntate ſua, quæ erat vt illo tantùm tempore perſeuerarent, ad hoc vt Populus ipſe literaliter tenens huiuſmodi præcepta, ſciret poſtea, cum temporis plenitudo acceſſiſſet, quales ipſis ineſsent ſenſus,
2 & mores. Verum tamen eſt, quod modò in Noui Teſtamenti Lege omnia miſticè, & ſpiritualiter intelliguntur; vndè prohibitio porcorum comeſtionis ſignificat quã adbominabile ſit peccatum veſtrum, cum in vobis aliquid operis boni non inueniatur, obdurantibus corda veſtra in malo, iuxtà Angelici Doctoris ſententiam: damnatus ſempre vult iniquitatem quam fecit: Si enim in vobis ſtaret prò ratione voluntas, non vtique ambularetis in tenebris, immò bonum à malo diſcernentes, Animalium mores abijcere ſtuderetis. De Auibus, item, quæ diſtortas vngues habent, intelligendum eſt homines qui de rapina viuunt, quorum vita eſt deuitanda, quia nemo viuere debet niſi de proprio iure ſuo, ſiue de operibus manuum ſuarum, teſtante propheta Dauid: Labores manuum tuarum, quia manducabis beatus es, & benè tibi erit; Scis etiam ò Rabi quod beſtiarum aliæ ſunt, quæ fixas vngulas habent, & non ruminant, ſicut Porci; & ij ſunt porci, qui benè agnoſcunt bonum à malo, & dimittentes bonum, ſequuntur malum, ſicut ſunt homines, qui toti dati ſunt carnalibus deſiderijs huius vitæ, adulterijs, inuidijs, vanis ſermonibus, alijſque huiuſcemodi turpitudinibus, & ij fixas vngulas

gulas habent, quia cognoſcunt bonum à malo. Qui non ſciſsas vngulas habent ſicut Lepores, & Cuniculi ſunt qui diſcernunt ſed frugalitate, & auaritia huius ſeculi impediuntur cupientes in temporalibus tantùm mercedem; & hi tales, licet cognoſcant bonum à malo, non diligunt veritatem, & amittunt gaudia Paradiſi. Aliæ beſtiæ ſunt, quæ non ruminant ſicut ſunt Leones. Pardi, Lupi, Vulpes, & harum conſimiles, quæ ſignificant homines rapaces, latrones, homicidaſque, qui nec Deum timent, nec mundum. Aperi ergò Rabi oculos interiores ad videndum verum Scripturarum ſenſum in Lege noua, & relinquatur Lex veſtra Ceremonialis, quæ
vobis antiquitùs nimis dura data eſt ob 3
duritiem cordis veſtri, ſicut dicebat Patres veſtri: Iugum, quod neque Patres noſtri neque nos portare potuimus; & quamuis iniuſtè quærerentur, (quia Deus non præcipit impoſſibilia) reuera Lex rigoroſa erat ad caſtigandam eorum malitiam, nam paſſim mortis comminatio reſonabat ſub illis conditionibus: reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, &c. Peccauit populus Vituli Idolatria, gladio cecidere vno die triginta millia: peccauit contradictione, à ſerpentibus conſumptus eſt: peccauit murmuratione, Maria lepra percuſſa eiecta eſt extra caſtra: peccauit Iſraelita cum
Madianita, gladio confoſsus eſt: peccauit 7
ſuperbia Dauid populum enumerando,

Digitized by Google

grauiſſima peſte mulctatus eſt: peccauit Heli in filiorum indulgentia, perijt ipſe, illique exterminati ſunt; peccauit Senacherib, Centum octuaginta octo milia vnica nocte ab Angelo perempti ſunt; Ob tactum Arcæ mortem incurrit Oza: Ob predam Boum Amalec, priuatus fuit Regno Saul: Mille alia tremendæ iræ Dei exempla paſſus fuit Hebræorum Populus ſub dura Lege, de virga ferrea corruptus. Nunc autem vt in Eccleſiaſtic. primo Miſerationes Dei ſuper omnem Carnem; & in Tobia cap.12. Benedicite Deum Cœli, & confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam: Receſserunt vetera, noua ſunt omnia; Clemens factus eſt ipſe Deus, qui per Ieſum Chriſtum Filium ſuum abſtulit Circumciſionis dolorem, & anguſtiam, mirificauit ſemitipſum in lenitate, & ſuauitate aquarum, & mundauit omnia, purgans filios ſuos in Baptiſmate: Et vt idem Tobias: Etenim Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt. Hoc in ſpiritu vidit Daniel cap.2. dicens: ipſe mutat tempora, & ætates transfert regna, & mores, &c. qui
6 reuelant miſteria, & oſtendit quæ ventura ſunt: Nunc Rabi intellige, ceſſatam (poſt Chriſti Meſſiæ aduentum) figuram, & mores; nil amplius boni remanente in obſeruantijs veſtris antiquis, ex quo falſas ſuperſtitioſas, ac odibiles ceremonias hoc tempore exiſtimare debetis, nam abſtinen-

Digitized by Google

ſtinendo à commeſtionibus illis, docemini prauos mores efugere. Lex enim Chriſti ſuauis, plena miraculis, & Spiritualis, & hic error fit maximus in Vobis, qui animas veſtras occiditis, literaliter conſiderantes ſcripturas; Vnde Cum deſpexeritis Legis exploratorem Meſſiam Dei Filium, perijt ſapientia veſtra; vt Iob cap. 39. ait. Priuauit te Deus intelligentia; Et Hier. cap. 9. Lingua veſtra mendacium, &c. Tunc reſpondit Iudæus. Ego de Veritate huius Meſſiæ tecum loquar; nunc dicas mihi de ſenſu Legis, nam hoc audire mihi non diſplicet. Dixit Ignetus. Quid moraris ò Rabi in conuerſione? Statua infidelitatis tuæ corruat, petra qui eſt Chriſtus conterrat caput tuum. Hanc petram ipſe Daniel diuinatus eſt: dicens. Secundum quod vidi quod de Monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & cominuit ſtatuam illam, quam vidit Nabuchodonoſor in ſomnijs ſuis: Ita Deus magnus oſtendit Regi quæ ventura ſunt poſtea, & verum fuit ſomnium, & interpretatio eius. Ecce ergo Myſteriorum Dei Chri-
ſtus declarator; nam vt Apoſtolus ait. 7
Loquimur Dei ſapientiam in Myſterio quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, &c., quam nemo Principum huius ſeculi cognouit; ſi enim cognouiſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Myſteria Legis prædicauerunt Apoſtoli Sancti per vniuerſum Orbem, dicentes: Sic nos exi-

ſtimet homo vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei; & alibi: Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: Non loquimur in doctis humanæ Sapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes; Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere (prout in vobis eſt ò Iudæi) ſpiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur; quis enim cognouit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Christi habemus. Eſto itaque certus, ò Rabi, de teſtimonijs Legis, & cognoſce errores obſeruationis tuæ; nulla enim Lex veſtra, nullæ ceremoniæ, nec Sabbathum amplius ſeruandum, Princeps cum fecerit Legem, alia ſubeunte, Lex prima cadit: poſteriora enim derogant prioribus; Non ſemper vna Lex populis; Sapientia Principis eſt moderari mandata: Ita Altiſſimus miſit Vnigenitum Ieſum Chriſtum vt auferret Spinas, & tribulos, præparans in roſis vias noſtras; ex quo ceſſat antiqua conſuetudo, & quæ prohibuit olim Deus ad veſcendum modò admiſit, confirmans antiquiſſimum dictum: Omnia quæ mouen-
8 tur ſuper terram erunt vobis in cibum, ſicut enim filijs Noe omnia munda erant, ita in hoc ſeculo ideſt tempore Chriſti Meſſiæ, ipſe erit ſoluens omnia prohibita, vt in Gen. 9. Quod Regius Propheta Pſal. 146. firmat: dicens: & omne animal quod

im-

immundum reputabatur Deus benedixit: Vnde non amplius conſiderantur (præter Iudæi) animalia immunda; extante Dauid Pſal. 144. Aperis Domine manum tuam, & imples omne Animal benedictione: Sanctus in omnibus operibus tuis, & peccatores diſperdes. Quid vltra ò Rabi? Si negare audes nouam Legem, nouum Teſtamentum, ego damnabo audadaciam tuam, & Mendocium tuum confirmabo in Prophetarum exemplis: Audi
Baruch. cap. 2. Et ſtatuam illis teſtamen- 9
tum alterum ſempiternum: quod Apoſtolus firmat: Confirmatum habemus teſtamentum aliud à Deo; & per fidem quæ eſt in Christo Ieſu omnes filij Dei facti ſumus; Veniat Ieremias, & conterat vanitatem, explicans Veritatem: cap. 12. Ecce dies venient dicit Dominus, & conſumabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda Teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod feci Patribus eorum in die qua apprenhendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægyti, quoniam ipſi non permanſerunt in Teſtamento meo, & ego neglexi eos; Ergo (dicendo nouum) deleuit prius, & interitum eſt: Super quod Mirabiliter Apoſtolus ait: Et ideo Noui Teſtamenti mediator eſt Chriſtus, qui effundens ſanguinem ſuum per Spiritum Sanctum, ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum quæ ſub priori Te-

ſtamento erant, re promiſſionem contulerit eis, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis: Vbi enim Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat Teſtatoris: Teſtamentum enim in mortui confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt. Tunc dixit Iudęus: ergo Primum Teſtamentum noſtrum non valuit, cum non interfuerit mors Teſtatoris? Reſpondit Ignetus: Valuit, eò quòd (vt ait Apoſtolus) nec primum quidem ſinè ſanguine dicatum eſt: Lecto enim omni Mandato Legis à Moisè Vniuerſo Populo, accipiens ſanguinem Vitulorum, & hircorum cum aquá, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque Librum, omnem Populum aſperſit dicens: Hic Sanguis eſt Teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus; quia, ſecundum Legem; ſine Sanguinis effuſione non fit remiſſio (Symbolum, & figura Sanguinis Chriſti) & quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, ſic, & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata, ſemel introiuit in ſancta æterna redemptione inuenta, &c.

In hoc Nouo Teſtamento adimplentur ſcripturæ, & Prophetia: In hoc ſonat vox Dauid: & videbit omnis Caro ſalutare Dei: Poſuit fines ſuos pacem, & adorabunt eum omnes fines Terræ: in hoc Vox Salomonis: De vltimis finibus pretium: Tronus eius in æternum firmabitur; In hoc ſenſum habet Vox in Eccleſiaſtico,

Fir-

Firmabitur in illo, & non flectetur. Quid
ergo dicis ò Rabi? In vobis Iudæis hæc va-
ticinia non cadunt, in hoc malitia veſtra
non habet operimentum, quid vltra?

Reſpondit Iudæus: benè loqueris cer-
tè, ſed dicas mihi quæſo; Nonnè dixit
Nobis Deus in Deuter. c. 7. Populus ſan-
ctus es Domino Deo tuo, te elegit Do-
minus Deus tuus vt ſis ei populus peculia-
ris de cunctis populus qui ſunt ſuper ter-
ram, quia dilexit vos Dominus, & cu-
ſtodiuit iuramentum quod iurauit Patri-
bus veſtris, & ſcies quia Dominus Deus
tuus ipſe eſt Deus fortis, & fidelis, cuſto-
diens pactum ſuum? Et alibi: Ego Deus,
& non mutor? quomodo ergo, deleuit pa-
ctum ſuum Deus, ſcilicet Legem, cum
immutabilis ſit, & irritum fecit Teſta-
mentum ſuum quod nobis promiſit? Item
Nonnè dixit in Geneſi 9. Ecce ego ſtatuam
pactum meum vobiſcum, & cum ſemine
veſtro poſt vos? pactum (ſecundum te) non
ſeruauit, ergo Deus mendax?

Ignetus dixit; Ante faciem Solis tene-
broſus es. Deus mendax non eſt, quia
pactum ſtatuit vobiſcum, ſi conditiones
pacti ſeruaueritis, quod cum non feceri-
tis, tollendo pactum, ſeu Legem, men-
dax dicendus non eſt ſicut dicit Malachias
1. & 2. cap. Vos autem receſſiſtis de via, 10
& ſcandalizaſtis plurimos in Lege, irri-
tum feciſtis pactum Leui dicit Dominus
exercituum, propter quod, & ego dedi
vos contemptibiles, & humiles omnibus
po-

populis, ſicut non obſeruaſtis vias meas;
Tranſgreſſus eſt Iuda, & abhominatio fa-
cta eſt in Iſrael: Vobis ergo præcepit in
Capite Legis Deus vt in Deuter. 6. Audi
Iſrael, diliges Dominum Deum tuum ex
toto corde tuo, ex tota anima tua, & pro-
ximum tuum ſicut te ipſum; eruntque
verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in
corde tuo, & meditaberis in eis ſedens in
domo, ambulans in itinere, dormiens,
11 atque conſurgens; & cap.8. ait: Caue di-
ligenter vt facias, vt poſſitis viuere, &
multiplicemini! Hoc eſt Maximum in Le-
ge Dei pręceptum: Finis præcepti eſt Ca-
ritas; Tantam ideo præcepti commenda-
tionem tot verbis circumſcriptam à Domi-
no, ſtatim deſpexiſtis, immo conculca-
ſtis, cum in hoc ſtare erat neceſſe totam
Legem, & pactum: Nam, & Abel in-
nocens frater occiſus, & Ioſeph iuſtus in-
terfectus, & Prophetæ perempti, & In-
nocentium paruulorum ſtrages, & tot ab-
hominationes inſurrexerunt: ſeuiſtis de-
nique Epilogum agentes feritatis veſtræ,
& diabolicæ immanitatis in Agnum Inno-
centiſſimum, & quid peius? quid ſtulti-
tia veſtrà deterius; nihilominus tantò au-
datiores arbitramini (præſtolantes Meſ-
ſiam) Saluationem; & pactum Dei vo-
biſcum ſeruari præſumitis? Nunc intelli-
gere habetis quid reconditum ſit ſub illis
verbis: Carnem cum ſanguine non come-
detis. Canes immaniſſimi, qui in ſangui-
ne innocentium, immo Filij Dei ſititis.

Hoc

Digitized by Google

Hoc exprabrat vobis Malach. c. 1. ſangui-
nem innocentem per circuitum ſanctifica-
nis effuderunt, & contaminauerunt ſan-
ctificationem, & Tob. 2. Sanctificatio eius
deſolata eſt ſicut ſolitudo, dies feſti eius
conuerſi ſunt in luctum, Sabbatha eius
in opprobrium honores eius in nihilum.
Ergò ceſſant in Vobis Leges, mores, &c.
Sola Chriſti gloria triumphat, Sola Spiri-
tus Sancti gratia illuminat, Sola Saluato-
ris aſperſio purificat: Ideo omnis gloria
veſtra periјt, & ſcientia, Ideo Salutis ve-
ſtræ ſecuritas ſine Chriſto damnatur, &
Vanitas eſt. Vnde Iſaias cap. 48. Vtinam
attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſi-
cut flumen pax tua, & fuiſſet quaſi arena
ſemen tuum, & non fuiſſet attritum no-
men tuum à facie mea. Cauſam mali ve- 12
ſtri oſtendat Dauid. Pſal. 13. Omnes de-
clinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non
eſt qui faciat bonum: quorum os maledi-
ctione, & amaritudine plenum eſt, velo-
ces pedes eorum ad effundendum ſangui-
nem. Vnde ridiculum quidem de ſtultitia
veſtra; abſtinetis à carnibus porcorum, &
ſanguinem Iuſtorum effunditis? O ne-
quiſſima gens! Noli ergò Rabi amplius
laborare in abſtinendo à tali comeſtione
animalium, ſi mores retineas, neque hoc
præceptum modo firmum eſſe credas per
legem Chriſti ſuauem, qui ait. Iugum enim
meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

INTERLOCVTIO,

Conſidera itaquè Miſeriarum Chaos, infelix Iudææ ſtatum tuum,& qui abſtines à porcorum carnibus, ne abſtineas à lachrymarum exuberantia? Tempus iam creſcit nequè perfidia decreſcit; qui d'acrius expectas? Ego non ſine dolore loqui poſſum, videns talem dementiam animalium ferè irrationabilium, qui ſe voluntariè immittant in ignis ardentis fornacem, cum aquam refocillationis ad fontem Vitæ ſine repugnantia haurire poſſint, Ideò Exechie-
13 lis cap.7. Vox ſonet in auribus veſtris ex parte Dei: Conſumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur Viſio, & Prophetia; & vngatur Sanctus Sanctorum. Iterum ædificetur Hieruſalem vſque ad Chriſtum Ducem, hebdomades ſeptem, & hebedmadæ ſexagintà duæ erunt, & rurſum ædificabitur plathea, & muri in anguſtia temporum & poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populos qui eum negaturus eſt: Ciuitatem,& Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo; deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abhominatio deſolationis,& vſq; ad conſummationem, & finem perſeuerauit deſolatio. Finis venit, venit finis ſuper quatuor plagas terræ: Afflictio vna, afflictio ecce venit, venit contritio ſuper te, venit tempus,

Digitized by Google

pus. Nunc de propinquo effundam iram meam ſuper te, & cõplebo furorem meum in te, & imponam tibi omnia ſcelera tua; & non parcet occulus meus, nec miſerebitur; abhominationes tuæ in medio tui erunt, & ſcietis quia ego ſum Dominus percutiens: Hæc prophetia concludit, & probationem meam,& ora veſtra ò Iudæi: Hoc vnum dicam, quod cum ab origine Mundi, vſque ad finem immutabilis ſit perfidia veſtra, ita, & ſempiterna punitio iræ Dei in Iſrael. Veritas hæc Sole clarior odium in vobis parit; & in opprobris veſtris voluntatem Altiſſimi non intelligitis? Vnde Hieremias cap. 20. & 23. ait: Confundentur vehementer,quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur;Et dabo Vos in ignominiã æternam, quæ nunquam obliuionem delebitur. Nolite amplius ignorantes procedere, percipite Legem Dei, & purgatam in Spiritu ſuauitatis intelligite, quod vt poſſitis facere, purgate animas veſtras Sacro Baptiſmate, alioquin in cæcitate permanẽtes in foueam miſerè cadetis ad æternam damnationem: abijcite cogitationes malas de cordibus veſtris, neque detenti amore parentum, pecuniarum, & nefariorum operum animæ Theſaurum negligatis, detrimentum tale horrendum patientes; quia, vt Iſaias vobis minatur, peribitis: Infideles ſocij furum omnes diligunt munera, & ſequuntur retributiones, ideo Dominus conteret eos, & conſumentur.

Hæc

Hæc mentis oculis intuenter perpendite, & Veritatem perquirite.

Dum igitur ad vlteriora diſponitur diſputatio, excuſet Lector huius Primi Capituli prolixitatem, nam cum agatur de Legis præceptis, neceſſe fuit multorum conſideratio.

CAP. II.

De Captiuitate hodiernæ Iudæorum.

QVibus auditis, Iudæus dixit, Nunc video, & apertè cognoſco quòd neſcis quid dicas, & loqueris in dementia; quia Nos Iudæi genus electum ſumus, & per Prophetas, & Patriarchas nobis locutus eſt Deus. Nonnè omnes Prophetæ Hebræi fuerunt. Sed tu qui credis eſſe quod non es, Reſponde mihi, & audi dicta Prophetarum? Audi Hieremiam dicentem, Lætabor ſuper eis, cum eis benefecero, & plantabo eos in terra iſta; In veritate in toto corde meo, & in tota anima mea quia hæc dicit Dominus, ſicut adduxi ſuper populum iſtum omne malum hoc grande, ſic adducam ſuper eos omne bonum, quod ego loquor ad eos, & poſſidebunt agros in terra iſta, de qua vos dicitis quod deſerta ſit, eò quod non remanſit homo, & Iumentum. Audi Ezechiele dicentem, Viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibns locis, In quibus diſperſæ fuerunt in die nubis,

Digitized by Google

bis, & Caliginis, & educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & educam eas in terram ſuam, & paſcam eas in Montibus Iſrael.

Reſpondit Ignetus, ò Rabi, tu te ipſum decipis non intelligendo dicta Sanctorum Prophetarum, quæ ſcripta ſunt in Sacris ſcripturis. Vide quod ſequitur in Hieremia, Quia de iſta Captiuitate non locutus eſt Propheta, ſed de illa Nabuchdonoſor; & ideo ipſe Hieremias dicit, eò quod non remanſerit homo, & iumentum, & data ſit in manu Caldeorum; Vnde vide vtrum apertè Propheta loquatur de captiuitate illa, an de iſta, in qua modò eſtis; & miror quomodò hoc opponere potuiſti; dic mihi ò Iudæe: Nonne Hieremias, & Ezechiel fuerunt in tempore captiuitatis Nabuchdonoſor, & omnes Prophetæ locuti fuerunt de illa reſtauratione, quando Eſdras, & Ananias accepta gratia à Cyro Rege Perſarum reædificauerunt Ciuitatem Sanctam, & Templum? Reſponde mihi? Ita fuit ait Iudæus. Dixit Ignetus oſtende ergo Prophetam, qui poſt illud tempus, videlicet poſt ædificationem Hieruſalem loquatur de iſta, ſeù de alia reſtauratione? hoc ſine dubio oſtendere non poteris, & vide ò Iudæe de Fonte illo qui naſci debuit in Hieruſalem in tempore Meſſiæ ad reſtaurationem humani generis, ille fons non fuit alius niſi Ieſus Chriſtus, qui eſt Fons viuus ſperantibus, & credentibus in ſe, quoniam tu ſcis, Rabi, quòd in Hieruſa-

lem

lem aliquis Fons viuus non eſt, nec fuit niſi probatica piſcina.

CAP. III.

De readificatione Hieruſalem.

DIxit Iudæus Igneto. Si poteris mihi monſtrare quod fons debeat oriri in Hieruſalem per aliquem Prophetam, Ego me victum voco, & Chriſtianus efficiar, & baptizabor.

Ignetus Reſpondit, hoc apertè monſtrabo, immo dico tibi quod ſi poteris mihi monſtrare quod Hieruſa lem debeat ræedificari per Iudæos ego efficiar Iudæus, & circuncidar; Dixit Iudæus, & quis inter te, & me erit Iudex! Reſpondit Ignetus. Eſt nè in Terra iſta aliquis Sapiens Magiſter Iudæorum? Dixit Iudæus eſt ſapientior Magiſter, quem habemus in tota Catholonia, & eſt Aragonenſis valde bonus, & Sapiens. Dixit Ignetus ipſum volo habere in Iudicem inter te,& me; Placet mihi dixit Iudæus, ſed tu attende, quod dicis, quia cauſam inuenis propter iſtos; Dixit Ignetus, tu eſto paratus ſeruare promiſſa, quoniam ego quæ dixi ſeruabo, & vade primò tu qui noſcis eum, quoniam ego non noui, neque ipſum vnquam vidi, & ſic ſurgentes venerunt ad Domum cuiuſdam ſapientiſſimi Iudæi, qui vocabatur Moſſe Dauid, eo quod erat de ſtirpe Dauid Regis, & Inuento ipſo in domo ſua, dixit Iudæus Magiſtro,

ſtro; Ecce Ego, & Dominus iſte ſimul conflictum habuimus; & dicit ipſe, quod ſi nos ei poterimus monſtrare quod Hieruſalem debeat reædificari per nos ei poterimus monſtrare quod Hieruſalem debeat reædificari per nos, quod faciet ſe Iudæum, & circumciſionem accipiet. Dixit magiſter Iudæorum, hoc ei conſilium non tribuo, quoniam mortuus eſſet, nec hoc facere auderet timore mortis. Dixit Ignetus non curetis de morte, quoniam dico vobis in certa veritate, & in fide bona, quod ſi vos mihi monſtrare poteritis Meſſiam non veniſſe, Iudæus ero: Et ſi mille vitas haberem, omnes perderem prò ſaluanda anima mea, quia aliud non quæro niſi viam veritatis. Magiſter Iudæorum dixit, Noli hoc dicere quoniam propter hæc verba nec tu Iudæus eris, nec Nos Chriſtiani, ſed apertè monſtrabo tibi.

Tunc Magiſter ille Magnus Iudæorum dixit. Audi Hieremiam Prophetam dicentem in loco vbi loquimur de reſtauratione Hieruſalem, quòd poſſidebunt agri in illa Terra, Dixit alius Iudæus, hoc ei iam dixi; Et quid reſpondit ait Magiſter? Dixit Iudæus? Quòd Hieremias fuit antè tempus deſtructionis Nabuchdonoſor. Reſpondit Ignetus, Ita dico, & affirmo, quoniam in Captiuitate illa Prophetauit Hieremias, & Ezechiel ſimiliter, & Daniel in captiuitate fuit ductus, & Iſaias; Non vos decipiat incredulitas veſtra, ſed aperite corda veſtra, & intelligite dicta

Pro-

Prophetarum quia vobis in hoc contradicere volo. Dixit Magiſter Iudæorum. Audi quid dicam, & ſi benè, & apertè tibi monſtrauero ſileas. Zacharias ipſe Propheta vltimus fuit, nam poſt eum non habuimus alium Prophetam. Et ipſe Zacharias dixit.

Reuerſus ſum ad Syon, & habitabo in medio tui Hieruſalem, & vocabitur Hieruſalem Ciuitas Veritatis, & mons Domini ſanctificatus, Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc habitabunt ſenes, & iuuenes in plateis Hieruſalem, & Viri baculos in manibus eius pro multitudine dierum, & plateæ Ciuitatis complebuntur Infantibus, & puelli ludentibus in plateis eius, hæc dicit Dominus exercituum. Si difficile videbitur in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, nunquid in oculi meis difficile erit hoc? Ecce ſaluabo ego populum meum de Terra orientis, & de Terra occaſus Solis adducam eos, & habitabunt in medio Hieruſalem, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum in Veritate, & Iuſtitia, hæc dicit Dominus exercituum. Tu Chriſtiane in hoc quid dicis? Nonne benè hoc apertum eſt, & nemo contradicere poteſt ſermonibus iſtis? Videtur tibi an adhuc debeat reædificari Ciuitas Hieruſalem Sancta; nil dicas, ſed magis tace, quia ſenſus eſt; ignoranti tacere, certè non apertiùs poſſet dici, nec melius quomodo dixi. Reſpondit Ignetus, Magiſter? tu bene di-

dicere credis, ſine dubio bene dixiſti in hoc quod dixiſti Senſus eſt ignoranti tacere) quoniam tu ignoras veritatem, & ideò tàm audacter locutus fuiſti, & non videtur tibi, quòd verbis tuis poſſit contradici; Sed dic mihi, pro quali te habebis, cùm ego contrarium monſtrauero tibi ad hoc quod dicis, & tu ipſe contra te iudicabis; & Iudæus id ſilere dixit. Dixitque Magiſter, hoc eſſe non poteſt.

Reſpondit Ignetus, Videamus ò Iudæi, & tacete; auſcultate me, ſicut ego patienter auſcultaui vos, ſeu verba veſtra, ne in riſum ponatis, dicite mihi per Deum, ſi iſte Propheta Zacharias prophetauit pro reſtauratione Hieruſalem antea. Non dubito quòd antea, & etiam fuit in temporibus Ananiæ, & Eſdræ, & ſi vos benè legiſſetis quæ ſequuntur, forſitam tacuiſſetis, & non eſſetis in tanto exaltati in verbis veſtris quomodo vos exaltauiſtis; Sed quoniam qui ſe exaltat humiliabitur, ſic, & vos ſtatim facietis; quia idem Zacharias multum loquitur, ſed ad abreuiandum ſermonem, vnum tantum punctum dicam: hæc dicit Dominus exercitum. Sicut cogitaui vt affligerem vos, cùm ad iracundiam me prouocaſſent Patres veſtri dicit Dominus, & non ſum miſertus, ſic conuerſus ſum in diebus iſtis, vt benefaciam Hieruſalem, & Domui Iuda; vnde ò Iudæi notate verbum ſi Propheta de præſenti loquitur, & non de futuro, & ideò dixit, in diebus iſtis, quia ſicut vobis dixi præſens erat, & in hoc

hoc aliquid contradicere non poteſtis, ſed vos ſicut cæci qui eſtis loquimini, quoniam incredulitas veſtra vos cæcat, & tolit mentem, & peccata veſtra magnam faciunt vos loqui in dementia: Dixit Magiſter Iudæorum eſto Curialis in Verbis tuis, & noli loqui de peccatis noſtris, quia peccata noſtra non nocebunt tibi, & forſitan qui iuſtum ſe tenet, peccator eſt. Reſpondit Ignetus, ego curialiter loquor, & dicere bene poſſum hoc quod dico, quia bene eſt peccatum, quando ignorans ſcientem veritatem ignorare dicit. Et ideo non eatis per ambages, ſed reſpondete mihi ſi ita eſt vt dixi. Iudæi dixerunt pro firmo eſt quòd Zacharias tunc temporis fuit; dixit Ignetus, ſi fuit tunc de præſenti locutus fuit, & indubitanter cognoſcere, & ſcire debetis quòd de reſtauratione illa locutus fuit; & in Libro Eſdræ inuenientis quòd in illo tempore Prophetauit Zacharias de reſtauratione illa Hieruſalem.

CAP. IV.

De Baptiſmo.

AD hoc Iudæi tacuerunt, & nihil reſponderunt, nec aliquid amplius ſuper hoc dixerunt. Dixerunt namque, Zacharias dixit, quòd in die illa erit fons viuus in Hieruſalem, & quòd amplius nemo Prophetauit. Et conuerſus Igneus ad Rabi dixit ei. O Rabi Magiſtrum tuum

tuum audi, & attende quod promiſiſti; Videtur tibi Propheta loqui de fonte, de quo tibi in Logia locutus fui? Et reſpondit Ignetus magiſtro, & dixit; O Magiſter tu Sapiens es, & non decet loqui niſi veritatem. Dixit Ignetus. Oſtende mihi librum Prophetarum, & dato libro aperuit eum, & cepit legere, & dixit eis, Vos hìc eſtis legitis quid vultis, & quod non vultis dimittitis; Sed videamus quomodo dixit Propheta. Et ipſe Magiſter Iudæorum cæpit legere, & dixit primò ſicut dixerat. Et dixit ei Ignetus, per oſtium opportet intrare in domum, & non per feneſtras, & poſtquam non vultis vos legere, & veritatem loqui, dicam ego, & aſcultate me diligenter Zachar. in Cap 14. dicit. In die illa erit fons patens domus Dauid, & habitantibus Hieruſalem in ablutione peccatoris, & menſtruatæ, & erit in die illa dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina illorum Idolorum de Terra, & non nominabuntur, & non recordabuntur vltrà, & Spiritum immundum auferam de terra, & ſi erit qui prophetauerit quiſpiam vltrà, maledicent ei parentes eius qui genuerunt eum, Non viues, mendacium locutus es, In nomine Domini, confringet eum pater eius, & mater quoniam Prophetauit, & erit in die illa, confundentur prophetæ, Vnuſquiſque ex viſione ſua cùm Prophetauerit, nec opperientur pallio ſaccino, & mentientur, ſed dicet non

ſum Propheta, homo, agricola ſum ego, quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea; & dicetur ei; quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum, & dicet ijs plagis plagatus ſum in medio illorum qui diligebant me; vnde ò Iudæi videre, & cognoſcere poteſtis ſi vultis, & concedere veritatem de qua locutus fuit Propheta, quia vos ſcitis, & certi eſtis quòd in Hieruſalem Fons viuus non eſt, nec vnquam fuit; & ideo intelligendum eſt de Meſſia, ſcilicet de Chriſto, qui fuit verus fons credentibus in eum, & eſt vita omnibus in ſe ſperantibus, & ideo dicit Propheta in ablutione peccatorum, & menſtruatæ. Idem Iſaias prædixit. Ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum: & Dauid. Videbit omnis Caro ſalutare Dei, & alibi. Vox Domini ſuper aquas Dominus virtutem populo ſuo dabit. Ideò verus fons eſt Chriſtus omnibus qui lauantur in eo, videlicet accipientibus ſacrum Baptiſmum, quia vos ſcitis Iudæi, quòd mulieres non circunciduntur: & ideò neceſſe eſt, & erat, quòd aliquid commune eſſet, vnde humanum genus ſaluari poſſet tàm fœmininum, quàm maſculinum; & ideò Nos Chriſtiani, qui Baptiſmum accipimus in hoc exemplum accipimus, vt ſaluemur, & ſimus participes æterni Regni, Sicut ipſe Dominus Ieſus Chriſtus dixi: Quì crediderit, & baptizatus fuerit, hic ſaluus erit,

& in

& in hoc ſicut prius vobis dixit, ille fons fuit Ieſus Chriſtus, qui ſaluat omnes in ſe ſperantes, & credentes, ſicut dixit Propheta erit in ablutione peccatorum, & menſtruatæ, quia qui ſaluatur à ſordibus purgatur; & ideò poſtquam lauata eſt res nitida eſt, & ſic omnes qui lauantur ſacro Baptiſmate nitidi, & purgati ſunt a peccato originali.

CAP. V.

De prædicatione, & idolis.

Notab. diſcrimen de Idolis nu. 1. Quid ſignificet: Sum vermis, & non homo nu. 2. De Iuſtis num. 3. De ſemita Diaboli n. 4. De via Nauis num. 5. de volatu Aquilæ num. 6. de Mecha num. 7.

DE Baptiſmo non reſponderunt Iudæi, ſed tantùm dixerunt, explica Nobis hoc quod dicis; Non ſum Propheta, non Agricola ſum ego, & maledicent ei Parentes eius, ſi quis prophetauerit, &c. Iſti ſunt veſtri Fratres Minores, & Prædicatores, & alij huiuſmodi qui Prędicantes ad ſe ducunt gentes, & dicunt, Dominus dixit hæc, & hæc, &c. Vbi hoc inuenitur quòd tali ratione homo ſaluetur? Reſpōdit Ignetus: Multi ex noſtris Prædicatoribus prophetarunt, & Spiritus Sancti virtute, & gratiæ, munere Chriſti Fidei, donum hoc

habuerunt, non tamen maledictionem parentum à Propheta dictam ſubierunt, quia Propheta intelligendus de Prophetia circa Meſſiam, qui cùm iam venerit maledictus erit, qui illum futurum nunciauerit; de alijs autem rebus futuris poterant prophetare, non maledictionem, ſed potiùs benedictionem accepturi. Vos autem Iudæi, qui Doctores eſtis, & Sapientes, dicite mihi, & reſpondete non negantes veritatem de hoc quod Propheta dicit. Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum. Et ipſe reſpondit; his plagis plagatus ſum in medio illorum, qui diligebant me; Nonnè totum hoc impletum fuit in Chriſto, qui de Cœlo deſcendit vt ſaluum faceret populum ſuum Iſrael; & Iudæi, ſcilicet Phariſei, & Sacerdotes crucifixerunt eum, & manus eius, & pedes clauis perforauerut. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Dicite mihi quando vnquam Zacharias plagas habuit in manibus, & pedibus eius, certè non; Sed ipſi Prophetæ tunc in perſonam Meſſiæ, ideſt Ieſu Chriſti loquebantur, & totum adimpletum fuit in Chriſto, & hoc quomodo adimpletum ſit in Chriſto dicam vobis, quia dicit Propheta, Diſperdam nomina Idolorum de terra, quando ille Fons erit. Nonnè Chriſtus, & eius Apoſtoli prædicando Paganos perduxerunt ad fidem, deſtruendo Idola, & Eccleſias ædificarunt, & nunc per totum Orbem terrarum venerantur Deum Cœli, & omnes

viuen-

Digitized by Google

viuentes in terra vnum Deum colunt, & adorant, & bene ſunt quidam, qui cum cibo venenum miſcent, ſicut Saraceni qui dicunt Allà, ò Alchibor, Machmet noſor. Alla tamen benè confitentur Deum vnum eſſe magnum, & potentem, ſed adducunt Machometum eſſe eorum Prophetam, & mentiuntur, quia non Propheta, ſed ſeductor fuit, & hoc vos Iudæi ſcitis. Dixerunt Iudæi, Nonnè Indi adhuc ſunt qui faciunt, & adorant Idola, quomodo ergo deleta ſunt Idola de terra? Ignetus reſpondit, Benè audiui quod Indi ſunt quidam, qui Idola 1
habent, ſed pro firmo Deum Cœli cognoſcunt, & confitentur vnum Deum magnum, & omnipotentem, non adorant Idola, vt Deum, ſicut in tempore illo faciebant, quia ſicut ſcitis Pagani, & cetæri alij tunc temporis ignorabant Deum Cœli, & venerabantur Deum Iouem Mercurium, Apollinem, Dianam, Herculem, & alia multa nomina Idolorum, & etiam patres veſtri immolauerunt Baalim, & Dijs alienis, pro quo dati fuerunt in manu Nabuchdonoſor, ſicut vos ſcitis, & certi eſtis; & Propheta non dixit. Diſperdam omnia nomina Idolorum, ſed cùm ſurrexerit Dominus percutere terram, tunc delebuntur omnia nomina Idolorum, ſicut dicit Iſaias, in die illa proijciet homo Idola argenti ſui, & ſimulacra auri, quæ fecerat ſibi vt adoraret. Iudæi dixerunt; Dauid dixit, ego ſum Vermis, & non homo in illo paſſu, 2
quem tu dicis de paſſione. Quomòdo ergo

in Meſſia intelligitur quòd ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis; hoc in ſe ipſo dixit cùm in tribulatione eſſet, & non dixit de Meſſia, quia quando veniet Meſſias ita dominabitur, quòd nemo contradicere ei poterit. Reſpondit Ignetus; ego dico vobis, quòd propriè in Meſſia, ideſt Ieſu Chriſto impletum fuit, & in perſonam maximè dixit Meſſiæ, quando dixit, ego ſum vermis, & non homo. Dicatis mihi quæſo quomodo concipitur homo, nonnè ex virili ſemine? Mulier ſuſcepto virili ſemine concipit. Reſponde mihi tu Magiſter qui Philoſophus es. Reſpondit Iudæus, ita eſt. Vermis non ex ſemine concipitur, niſi tantùm de terra, qui ex abundantia humorum, & aqua concipitur; vermis ita Ieſus Chriſtus de terra conceptus fuit ex Spiritu Sancto, ſine ſemine virili, ideſt de Maria Virgine, quæ concepit obumbrante Spiritu Sancto, & Angelo nunciante, & ita Dominus Ieſus natus fuit in Mundo, quoniam in tempore Chriſti omnia implebuntur, & ſine dubio ſic intelligendum eſt, & non aliter. Et Iudæi dixerunt Micheas Propheta dicit in illo loco vbi loquitur de his, Non ſummet gens aduerſus gentem gladium, & diſcent vltra bellare, & ſedebit vir ſuper, Vineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui exerceat, tu verò hoc quomodo intelligis? Reſpondit Ignetus, ſicut vos qui ſcitis quòd Vinea Vinum portat, & vinum eſt fortius præ om-

ominibus alijs fructibus lignorum, ficus etiam eſt dulcior omnibus fructibus, & hoc intelligitur in Iuſtis, qui in vita beata erunt, & in fortitudine, ac dulcedine 3
ſtabunt, quoniam nec pauebunt, nec dolorem ſentient, quia dolor, & triſtitia ibi penitus locum non habent, neque aliqua alia contraria quæ ſunt ſaluti hominis inimica, & quòd ita debeat intelligi, monſtrabo vobis, quoniam quando arbores ſe congregauerunt ſimul dixerunt ad ficulneam; Regna ſuper nos, & ipſa dixit, Non regnabo, Nolo dimittere dulcedinem meam, & ad vitem dixerunt, regna ſuper nos, & ipſa dixit; Non regnabo: Nolo dimittere vinum meum; dixernut Iudæi: Nonne Salamon appellauit mulierem Mecham in illo loco vbi loquitur de volatu Aquilæ, & ſemita Serpentis in petra, & de via Nauis in pelago; Reſpondit Ignetus; Si vos velletis me auſcultare, ego vobis dicerem de his quæ ſunt, & quæ eſt rei veritas, ſed ſcio, & certus ſum quòd non poſſetis ſufferre audire veritatem; Dixerunt Iudæi, ita faciemus; Dixit Ignetus ergo ſi audire vultis patienter, dicam vobis; Vos ſcitis quòd Diabolus amplam viam tunc in Mundo habebat, quando gentes Deum ignorabant, & Idola vana, & multa, & manufacta faciebant; Sed poſtquam veritas de terra orta eſt, vt in Dauide legitur, & poſtquam Meſſias, qui dicitur Ieſus de Maria Virgine natus fuit, & Iu-

Digitized by Google

tia in eo proſpexit, illa ampla via quam
4 Diabolus in mundo prius habuerat in
ſemita, in petra, ideſt in Chriſto qui
dicitur Meſſias conuertit, qui pro firmi-
tate petra interpretatur, & ideo veſtigia
illa in ſemita in Diabolo conceſſa fuerunt
permanere, vt homines velut aurum
in fornace probarentur, vtrum illius amo-
re, & timore veſtigia illa mala, & ſemi-
ta Diaboli ſuperarentur, aut in illis malis
operibus perſeuerarent; vos verùm ſci-
tis, quòd nemo eſt tam iuſtus, qui à Dia-
bolo non tentetur, idcircò illi, qui pro-
pter Deum opera Diaboli ſuperauerunt in
æterna Beatitudine meritò munerabun-
tur; qui verò veſtigia, ac ſemitam Dia-
boli non vitare, neque ſuperare volue-
runt, in æterna damnatione ſcilicet in
inferno cruciabuntur, & ideo ſemita illa
in petra dicitur remanere, vt boni, &
mali ſicut vobis dixi tanquam aurum in
fornace probarentur. De via verò Nauis
ſi vultis audire, vobis exponam ſecundùm
meum intellectum; Cui Iudæi dixerunt
audiamus. Dixit Ignetus, ò Iudæi vos
ſcitis quòd quando Naues per mare va-
dunt nulla via ante apparet, nec antece-
dit, & Deus eaſdem ad portum ſalutis ad-
ducit; hoc ſignificat homines, qui vſque
in finem in Dei ſeruitio permanent, &
eius opera operantur, & Deus ſimiliter
neſcentibus viam ad portum ſalutis ideſt
ad vitam æternam iter aperit. Et ſi vultis
dicere de Nauibus quòd aliquando rum-
pan-

Digitized by Google

pantur, ego reſpondebo vobis Naues illæ, quæ rumpuntur ſignificant illos, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, velut illi qui in principio in Dei ſeruitio ſe committunt, & poſteà retrò perquirunt opera praua, & peruerſa exercendo; iſti vero voluerunt permanere in pelago, donec tempeſtas recederet; ſed qui tentationes diabolicas ſuperare noluerunt, neque vitare, immo in malis operibus perſeuerare, periculum incurrunt, & in inferno damnantur ſicut Naues illæ naufragando ad ſaxa, rumpuntur. Et hoc eſt, quod intelligitur de via Nauis. De volatu Aquilæ, & de Muliere Mecha vobis loquar? Dixerunt Iudæi; ſatis audiuimus, & Multum delectat nos audire te, & miramur vnde hoc ſcis, dixit Magiſter maior; ego plures infirmos in curam habeo, & opportet me eos viſitare, quia medicus ſum. Dixit Ignetus, ſi medicus es corporum, & animarum eſto, quia plus proficiet infirmis cura animarum, quàm corporum; & vos audiſtis, & certè veritatem melius me ſcitis; Et Aduentum Meſſiæ, ideſt Ieſum Chriſtum cognoſcitis, & intellexiſtis. Cauete vobis, ne ob amorem Carnis, & filiorum decipiamini, & ab infidelitate, & cupiditate mala, ac mundi, quia infidelis omnis homo eſt, qui iniuſtè aliquid acquirit, & illa acquiſita in damnum animæ reducit. Dixit Iudæus Magiſter, ſine me abire, quia ſicut dixi infir-

Digitized by Google

mos habeo expectantes, Tu iam de terra iſta modo non recedis, ſimul erimus omni die, quia in veritate tibi dico, quòd multùm gaudeo de hoc, quod locutus es. Et ſic ſtatuerunt inter ſe, vt ſequenti die ſimul in aliquo loco eſſent, & ibi adeſſet vnuſquiſque bonis armis munitus, vt ſuam poſſet fidem viriliter defenſare, quo dicto ſurrexerunt.

INTERLOCVTIO.

NE aliquid hìc deſideretur quod operi huic neceſſarium eſſe videatur, & animo lectoris audire gratum, volui ego Igneti loco declarando exponere de volatu Aquilæ, & Muliere Mecha, vt ſi quis interrogatus fuerit, de his poſſit clarè, & apertè reſpondere; Sicuti in ſequentibus Capitulis quàm plures audies Interlocutiones ad maiorem operis dilucidationem pro Iu-
6 dæorum terrore.

Primò de volatù Aquilæ dicendum eſt, omnes ſcire debere, quòd volatus Aquilæ in aere eſt, & altiùs alijs auibus euolat, & tam volare altiùs dicitur, quod radij Solis eius alas in flamma accendunt; cui fulminis ictus non nocet. Aquilæ volatus bonos homines, fideles ſignificat, qui ob amorem cœleſtis Patriæ mundum derelinquentes, & omnia quæ habent pauperibus erogant, & in Syluis, & Cauernis magnis Terræ habitant, vt dignè Deo ſeruire poſſint ſolitariam vitam ducunt, & ſic

men-

Digitized by Google

mentes iſtorum Dei ſeruitio altiùs mentis alis volare dicuntur, ideſt, qui ſeruitium Dei perficiunt altiùs alijs volare dicuntur, & ſic meritò Aquilæ tales dici poſſunt, quoniam ſicut Aquilæ, vt ſuperius dictum eſt tàm altiùs dicuntur euolare, vt radij Solis alas incendant, ſi mentes iſtorum fidelium altam vitam ſtudioſè, & mundo corde decuntur, & ſic faciendo, corda eorum igne Spiritus Sancti inflamantur.

Mulier verò illa Mecha dicitur Eccleſia, & debet intelligi Eccleſia. Eccleſia quippè Congregatio fidelium nuncupatur, veluti Synagoga Congregatio Iudæorum appellatur, quæ quandiu in gentibus, quæ Deum verum ignorabant, & Idola vana, & muta, & ſurda adorabant, templum habebant vbi congregantur, in quo Idola ſculpebant, & pro Deo adorabant, donec Congregatio illa in tanto errore permanſit, meritò Congregatio dici potuit, eò quòd accepit Chriſtum in Sponſum, vt in Canticis Canticorum de eodem Sponſo, & Sponſa Salomon clamando dicit: Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Et ecce Sponſa; poſt quam vero Eccleſia talem Sponſum accepit meritò dicendum eſt, quòd Prophetia fuerit adimpleta, & poſtea Mecha, quæ prius fuerat ſordida, purgata, & decorata fuit; Dauid de ea teſtatur dicens, Myrrha, & gutta, & Caſſia à veſtimen-

tis tuis, à domibus eburneis, circu namicta varietatibus; & idem Dauid ſubdendo ait; Quia concupiuit Rex decorem tuum. Hæc habeas Lector, vt in omnibus partes meæ adimpleantur. Accedamus nunc ad hæc, quæ Hebræi ſtatuerunt.

CAP. VI.

De Aduentu Meſſiæ qui fuit Chriſtus.

Notab. de Trinitate nume. 1. De ſimilitudine Filij Dei nu. 2. de Conceptione Filij Dei n. 3. Meſſias Deus eſt num. 4.

VEniente autem die, quem ſtatuerunt Iudæi, proceſſit Ignetus ſimul cum eis cum pluribus alijs in quamdam Domum cuiuſdam Magni Iudæi, in qua multitudo Librorum erat, & dixit Magiſter, Ignete hic ſumus parati; Vis tu opponere nobis, an vis quod opponamus tibi? Ignetus dixit. Dicite quod vobis lubet, reſpondebo. Dixerunt Iudæi, Tu dicis veniſſe Meſſiam, vnde opportet te probare ipſum veniſſe, & dicemus tibi quòd de teſtamēto nouo nihil loquaris, quia de eo nihil credimus, quòd ſi credidiſſemus, Chriſtiani eſſemus, vnde per Prophetas opportet te monſtrare Meſſiam veniſſe apertè; quòd facere non valebis certè. Reſpondet Ignetus, ego Meſſiam veniſſeprobabo vobis, & non

nō per vnum ex Prophetis,ſed per omnes; dixerunt Iudæi,tantummodo per vnum proba, quoniam ſi per vnum probabis, & per omnes probatum erit. Reſpondit Ignetus, à quali ex Prophetis vultis initium faciamus? Dixerunt Iudæi, iam diximus tibi de quouis loquere. Ignetus dixit. Incipiendum eſt à primo, videlicet ab Iſaia, ſine patre carnali, ſicut vermis de ſolla terra oritur ſine patre. Iudæi dixerunt. Longe à ſalute mea verba delictorum meorum quomodo intelligitur in Meſſia? peccauit Chriſtus, quem tu Deum facis? Deus non poteſt peccare; Dic nobis ſi Deus poteſt omnia facere? Reſpondit Ignetus, omnia poſſibilia ſunt apud Deum. Iudæi dixerunt, Neſcis quid dicas, quia Deus non poteſt omnia facere; & quæ ſunt quæ facere non poteſt? Non poteſt Deus peccare, non poteſt alium Deum præter ſe ipſum facere. Reſpondit Ignetus, ego dico omnia poſſibilia ſunt apud Deum, & Deus omnia facere poteſt. Sed mihi dicatis, ſi Iuſtus peccat? Iudæi reſponderunt numquam fuit tàm Iuſtus, qui non peccaret, ſeu peccaſſet. Reſpondit Ignetus, & ego dico vobis quia homo iuſtus non poteſt peccare, & manere in iuſtitia ſua, nam ſi iuſtus in peccato cadit non eſt amplius iuſtus, quia pro peccato ammiſit iuſtitiam; ita Deus non eſt peccator, & qui peccat diſcedit à Deo, ſicut ſpiritus maligni, qui Angeli creati fuerunt,& propter peccatum in abiſſum miſſi fuerunt; Dixerunt Iudæi,

ergo

ergo quomodo intelliguntur verba deli-
ctorum meorum? Reſpondit Ignetus, vos
1 ſcitis, quoniam ab initio Deus creauit ho-
minem, & dixit, Faciamus hominem ad
imaginem, & ſimilitudine noſtram, & in
hoc loco cognoſcere poteſtis, quòd Deus
Trinus eſt in perſonis, quoniam dixit Fa-
ciamus, hic loquitur in plurali numero,
& dixit ad imaginem, & ſimilitudinem;
verè Filij eſt caro, quia ſola perſona Filij
accepit carnem, & ſimilitudo Filij Dei pec-
2 cauit, quia gula Adam peccauit comedens
fructum vetitum; & in hoc loco peccauit
caro, quæ eſt ſimilitudo Filij Dei, & prop-
ter iſtud peccatum Filius Dei accepit car-
nem humanam, ideſt humanitatem no-
ſtram, & paſſus fuit in Cruce moriendo,
vt pecatum iſtud deleret, & ianuam Re-
gni Cœlorum aperuit credentibus in ſe;
& ideo Iſaias Propheta dixit: Vtinam diſ-
rumperes Cælos, & venires ad liberan-
dum nos; Dixerunt Iudæi, Iſaias dixit,
ecce Iuuencula concipiet, & pariet Filium,
quomodo vos Chriſtiani dicere poteſtis
quòd hoc intelligatur de Chriſto veſtro, &
Propheta in Achaz teſtatur, quando A-
chaz erat obſceſſus à Raga Rege Syriæ, ſi-
cut in prophetia continetur, & quando na-
tus fuit ſibi filius, receſſit ab obſidione.
Reſpondit Ignetus, ò Iudæi, non eſt ſicut
dicitis, quia Propheta non (Iuuencula,
ſed Alma) dicit, & Alma in lingua veſtra
hebraica virgo interpretatur; eſt ne ita vt
dixi? Reſponderunt Iudæi ita eſt; dixit
Igne-

Ignetus quomodo dixit Propheta, quando ingreſſus fuit ad Achaz Regem? Nonnè dixit, pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra, & ille malè, atque ſuperbè reſpondit, neque petam, neque tentabo Dominum, quid Dixit Propheta, Audite ergo domus Dauid, nunquid parum vobis eſt moleſtos eſse hominibus, quia moleſti eſtis, & Deo meo, propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum; & quod ſignum dabit, ſiue miraculum Dominus? Dixit Ignetus Iſaias 3
ait, ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomon eius Emanuel, quod interpretatur (nobiſcum Deus.) Vnde reſpondete mihi, ò Iudæi, ſi Propheta dixit, pete ſignum in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra, ſi veritatem non negabitis, hoc quod dicitis quòd in Achaz impletum fuit non fuit ſignum in profundum inferni, nec in excelſum ſupra, immo fuit in terra; Et Propheta non dixit; neque locutus fuit, quod peteret ſignum in terra; & ſimiliter quòd ſignum, ſeu miraculum eſſet ſi vxor tua, vel vxor alterius pareret, hoc non eſſet ſignum; neque miraculum, quia naturaliter mulieres ſuſcepto ſemine virili concipiunt, & pariunt; ſed ſi virgo pareret ſine ſemine, hoc ſignum, & miraculum magnum eſſet; & fuit quando Virgo Maria concepit, & peperit filium, quæ Virgo erat, & ſine ſemine concepit; quia per os Angeli concepit de Spiritu Sancto, & quòd hoc ſit verum, audite Moyſem in præ-

præcepto, quòd dedit, vt mulieres omnes quæ ſuſcepto ſemine maſculum parerent, per 40. dies eas immundas eſſe precepit. Cur ergo præceptum, Cum contradictione poſuit, quando dixit Mulieres quæ ſuſcepto ſeminem, quia ſciebat Virginem ſine ſemine parituram, & ideò non fuit auſus dicere de omnibus mulieribus; niſi de illis tantùm quę ſuſcepto ſemine maſculum parent, quia hoc apertum eſt, quòd in Beata Virgine Maria impleta fuit illa Prophetia, & etiam alibi idem Iſaias hoc affirmat: Rorate Cæli de ſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem ſuum; Vos benè ſcitis quòd naturaliter terra non portat, neque vnquam portauit nec portabit; & ideò inintelligitur ſpiritualiter in Maria Virgine, quia omnis Caro terra eſt, & nemo vnquam terra fuit, neque iam erit, qui poſſit vocari Saluator, niſi Dominus Ieſus Chriſtus ſolus qui fuit, & eſt verus Deus, & Saluator Mundi. Dixerunt Iudæi. Vbi hoc inueniſti quòd Meſſias ſit Deus? Reſpondit Ignetus, Audite Iſaiam dicentem, paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius Deus fortis, pater futuri ſæculi, & princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis; Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit, vt confirmet illud corroboret in Iudicio, & Iuſtitia

amo-

amodò, & vſque in Sempiternum. Videtur ne vobis Iudæi an Meſſias à Propheta vocetur Deus? Dixerunt Iudæi, non dicit Deus, ſed Dominus; & nobis, debet credi, & non vobis, quia à nobis habuiſtis Scripturas; ſed vos decepti eſtis quia ſcribitis ſicut vultus, & non ſecundum veritatem; Reſpondit Ignetus, miror de vobis quomodo auſi eſtis hoc dicere, ſeu loqui; Nonne Dominus Deus eſt? Et quis Dominus niſi ſolus Deus? & quinam eſt Pater futuri ſæculi niſi Deus? & admirabilis Conſiliarius, princeps pacis niſi ſolus Deus? nam in homine nunquam fuit, nec iam erit talis virtus, nec eſſe poteſt, & hoc negare non poteſtis.

CAP. VIII.

De varijs obiectis circa Meſſiam.

Notab. Aduentus Chriſti in die Nouiſſimo num. 1. De Captiuitatibus num. 2. Deſpectio num. 3. Conceptio Chriſti nu. 4. Signum Natiuitatis Meſſiæ num. 5. Chriſtus Deus, & homo num. 6. Perſecutio Hebræorum nu. 7. Beneficia Dei in Hebræos nu. 8. Chriſtus via vitæ n. 9.

QVibus auditis mirati ſunt Iudæi, alium ſermonem ſumentes, & dixerunt: Nonnè in tempore Meſſiæ conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas

ſuas

ſuas in falces , & non leuabit gens contra
gentem gladium? ecce nunc quomodo to-
tus Mundus militat , & ſpecialiter Italia ,
& penè omnes Reges Terræ, & Principes
habent Bellum inter ſe, & Eccleſia Roma-
na,& non credimus quòd tu cognoſcas in-
ter Chriſtianos terram , ſiue Prouinciam ,
quæ pace gaudeat , quomodo ergo venit
Meſſias , quem tu dicis veniſſe, & facis de
Chriſto tuo Meſſiam? Ignetus reſpondit: in-
ter bonos,& Iuſtos ſemper eſt pax,& inter
iniquos , & inuidos ſemper eſt bellum , &
ſi vos benè intellegitis ea , quæ Prophetæ
dixerunt, certè non opponeretis mihi in
hæc, quæ oppoſuiſtis: & ideo ſcire volo à
vobis quantum debet regnare Maſſias ?
Dixerunt Iudæi dicas tu quantum ipſum
regnare credis. Reſpondit Ignetus, in
æternum , & Regni eius non erit finis ; &
ideo, ò Iudæi, ſi non eſt impletum, imple-
bitur , & ſicut dixi , ſi bene intelligeretis
2 Prophetam , ipſe dixit , videlicet Iſaias.
In diebus nouiſſimis erit preparatus Mons
domus Domini in vertice montium , ele-
uabitur ſuper omnes Colles , & fluent ad
eum omnes gentes, ibunt populi multi , &
dicent, venite aſcendamus ad Montem
Domini, & ad Domum Dei Iacob, & do-
cebit nos vias ſuas, ambulabimus in ſemi-
tis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum
Domini de Hieruſalem , & iudicabit gen-
tes, & arguet populos multos , & confla-
bunt glaudios ſuos in vomeres , & lanceas
ſuas in falces , non leuabit gens contra

gen-

gentem glaudium, non exercebuntur vltrà ad prælium domus Iacob, venite, & ambulemus in luce Dei noſtri; Quid vobis videtur ò Iudæi; ecce Iſaias Propheta, dicit, in diebus nouiſſimis, & Micheas Propheta, quoniam ſimiliter loquitur dicit; in nouiſſimo dierum; & ſimiliter dicit, quia populus vnuſquiſque in nomine Domini Dei ſui ambulabit: Nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in eternum; vltrà; certè hæc omnia implebuntur in Dei Iudici, & hoc apertè demonſtrat Iſaias in eo, quod dicit, & iudicabit gentes, ſimiliter dicit, & eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus contemnentur, & in trabunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie fortitudinis Domini, & gloria Maieſtatis eius, & reſurrexit percutere terram, in die illa proiciet homo Idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi, vt adoraret talpas, & veſpertiliones, & ingrederetur fixuras petrarum, & cauernas ſaxorum à facie fortitudinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexit percutere terram, certè in die illa omnes cognoſcunt filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ibunt iuſti, & Chriſtiani homines, & fideles in nomine eius in æternum, & vltra, & idolatræ, & Iudæi in nomine idolorum ſuorum in infernum; & quòd hoc ſit verum, quòd ſuperius dixit Micheas Propheta apertè declarat: de vno autem perpendo de vobis, quòd

quòd licet non confiteamini, tacetis, & qui tacet confirmat, & ſcio, & certus ſum quòd ſcitis melius, & intelligitis omnia, quam ego dicere ſciam. Videamus quod dixit Iſaias in viſione ſua prima in ſermonibus ſuis: & quid dixit Iſaias dixerunt Iudæi? Reſpondit Ignetus, vos dicitis, quòd tantos libros habetis; accipite librum Iſaiæ, & legite; Tunc Iudæi accepto Libro Iſaiæ cæperunt legere, & dicere, Audite Cæli, & auribus percipe terra quoniam Dominus locutus eſt; Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me, cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui Iſrael autem me non cognouit, & populos meus non intellexit; vel genti peccatrici, populo grauaui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Deum, blaſphemauerunt Sanctum Iſrael, alienati ſunt retrorſum. Dixerunt Iudæi, quid ſuper hoc dicere vis? Dixit Ignetus, audite Prophetam, quia legentes non intelligitis, & nil mirum ſi ità duræ ceruicis eſtis; ego non video, quomodò apertiùs vnquam potuiſſet dici, de Auentu Chriſti, ſiuè Meſſiæ, ſicut iſte dixit. Dixerunt Iudæi, nobis non videtur ita apertum vt dicis, quia hæc verba nihil tangunt ad Meſſiam, immo locutus eſt Propheta ſuper peccatis, & vijs malis patrum noſtrorum; Dixit Ignetus, Nonne ibi dixit; filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me, hoc totum impletum fuit in Chriſto, quia docentem

tem

tem in Sinagogis, & ſigna ac prodigia magna facientem, ipſum ſpreuerunt Patres veſtri, Samaritani, & Publicani acceperunt, & in eum crediderunt, hoc totum factum fuit, vt adimpleretur quod per Dauid dicitur, & ſpreuerunt me mei, alienigenæ autem Amici facti ſunt mihi: Dixerunt Iudæi: cum Iſaia loquere, & dimitte Dauid, quia ſi de Dauid loqui vis, nimis haberes faciendum, quoniam hoc dicit Dauid, quando perſecutus fuit à Saul Rege Ieruſalem, quòd ſui dereliquerunt eum, cum Philiſtinis habitauit, ſicut ſcriptum eſt in Libro Regum de Dauid. Reſpondit Ignetus, ego dico, & dixi, quòd Dauid locutus fuit in perſona Chriſti ſiue Meſſiæ, & non in ſua, nam dixit, & dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto:vbi vnquam inueniſtis quòd Dauid fuiſſet potatus felle, & aceto, hoc nunquam fuit: Chriſtus autem ſic; & alibi dicit Dauid, in oſculo pacis meæ, in quo ſperaui qui edebat panes meos magnificauit ſuper me ſupplantationem,vbi vnquam fuit Dauid traditus à diſcipulo pace, ſicut Chriſtus fuit? Dixerunt Iudæi? Non vadas per ambages, de quo incæpimus loqui loquamur, reuertamur ad Iſaiam. Reſpondit Ignetus, placet mihi, ſed opportet vt teſtis teſtibus adhibeantur, & dicta eorum vera comprobentur, & cum probata fuerint, & vera ab omnibus cognita, tunc poterunt ad fidem produci; iuſtum eſt dixerunt Iudæi; Sed vide quid Iſaias dixit:

Ter-

Terra veſtra deſerta, & Ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni, hoc dixit de deſtructione Nabuchdonoſor, quam ipſe fecit Ciuitatis Sanctę Ieruſalem cum exercitu ſuo, quem de Babilonia duxit; Reſpondit Ignetus Dicite mihi ò Iudæi: Si quis vellet Turrim aſcendere magnam, nonne, & opporteret primùm per oſtium Caſtri introire, & de Caſtro oſtium Turris, & cùm fuerit in Aula Turris, tunc aſcendere de Scala in Scalam, quouſque fuerit in capite? dixerunt Iudæi, ita eſt veritas, ſed quid faciunt hæc verba cum Meſſia? iterum dixit Ignetus: ſi quis vellet ſaltare de foris, & aſcendere per foramina non videret quod intus nec quod foris eſſet, quia ſaltat ſicut Sagitta; Dixerunt Iudæi, ſi vis reſpondere nobis reſponde, aut ſurgamus, & eamus, quia Turribus, nec de Caſtris non loquitur Propheta, ſed hæc verba ſunt hominis trahentis ſe à veritate, & reuertere volentis ad fabuas. Reſpondit Ignetus ego nolo me ſubtrahere à veritate pro fabulis, vos autem ſic agitis, incepiſtis enim legere, & quæ ſcripta ſunt diuerſificatis, & tacetis, & quæritis foramina, & non calamos, ſicut faciunt mures; ſequamini quod ſcriptum eſt, & quod ſequitur, quia vos vultis, ſiue creditis aſcendere Turrim de foris per foràmina, & hoc facere non poteſtis, vnde videamus quid dicit Propheta, & ea, quæ ſequuntur, quia vos dimiſiſtis, ſuper quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem, omne caput languidum, omne

omne cor mærens à planta pedis vſque ad verticem Capitis non eſt in eo ſanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circum ligata, neque curata medicamine, neque fota oleo, terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni, Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabunt, ſicut in vaſtitate hoſtili, & derelinquetur filia Syon, ſicut vmbraculum in Vinea, & ſicut Tugurium in Cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur, niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen quaſi Sodoma fuiſſemus, vnde, & quaſi Gomorra ſimiles eſſemus, vnde ò Iudæi audite verbum, & notate benè ipſum quod dicit Propheta (ſuper quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem,) hic oſtendit Propheta quòd aliàs percuſſit vos in eo quod dicit, vltra, quia Ciuitas Hieruſalem nunquam fuerat deſtructa ante tempus Nabuchdonoſor: tunc reſponderunt Iudæi, ita fuit veritas; Iterum dixerunt Iudæi, quomodo locutus fuit Propheta de craſtino, & non de hodie, quomodo dicere poteſt hoc quod dicis, & vnde veniunt tibi hæc verba? Nonnè melius 2
intelligendum eſt de priori vaſtatione, quàm de vltima? quia ſi Propheta de iſta vaſtatione, ſeu captiuitate, in qua ſumus exules per vniuerſam terram loqueretur, primò locutus fuiſſet de priori captiuitate, vnde non eſt intelligendum niſi de illa deuaſtatione, quam fecit Nabuchdonoſor, nec aliter locutus fuit Propheta. Ignetus,

reſpon-

reſpondit; & ſi ego vob's faciam confiteri quod de iſta Captiuitate,in qua nunc eſtis, loquitur Propheta, & non de illa, quid dicetis? Dixerunt Iudæi: hòc iam non confitebimus, niſi forſitan mentiri velimus. Dixit Ignetus, videamus ò Iudæi Iſai m Prophetam quando intrau't ad Ezechiam Regem tunc temporis quando Rex Babilonis miſit ad eum liberos, & munera, Exechias oſtendit eis omnia, quæ inuentà ſunt in Theſauris ſuis: & quid dixit Iſaias Propheta Exechiæ regi, dixerunt Iudæi? Ignetus reſpondit: introiuit autem Iſaias ad Regem Ezechiam, & dixit ei, quid dixerunt tibi viri iſti, & vnde venerunt ad te, & quid viderunt in domo tua, & dixit Ezechias, de terra longinqua venerunt ad me di Babilone, & omnia, quæ in domo mea ſunt viderunt, non fuit res, quàm non oſtenderim eis in Theſauris meis, & dixit Iſaias ad Ezechiam, Audi verbum Domini exercituum, & ecce dies veniunt, & omnia auferentur, quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt Patres tui, vſque ad diem hanc in Babilonem non relinquentur dicit Dominus, & de filijs tuis qui exibunt de te, quos genueris tollent, & erunt Eunuchi in Palatio Regis Babilonis. Quid vobis videtur ò Iudæi? confitemini veritatem, & nolite mentiri, quia apertè demõſtrat captiuitatem illam, & nominatim dixit de Rege Babilonis, ſed in principio non loquitur de Babilone, immo dicit, Ciuitates veſtræ erunt ſuccenſæ

ſæ igni, & Regiones veſtras coram vobis alieni deuorabūt,& deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Et ecce nonne eſtis viliſſimè abiecti, contempti, & ab omnibus pro nihilo habemini, & bene eſtis ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, quia fructum non facitis, nec iam facietis, & in perpetuum ſerui eritis omnium nationum, quia ſicut vmbraculum vineæ non affert, nec racemum, nec botrum, ſed tantùm ſerpentem cepit in palmite in quo eſt, & tàm ligna arida, quàm viridia ad quæ tendit, ſic vos ipſi facietis, qui cum Chriſtianus, Saracenis, Tartaris, & cum quibus poteſtis viuitis, & omnibus ſerui eſtis in palmite: ſic, & vos ipſos qnotidie conſumatis, & iam creſcere non poteſtis, & ſemen veſtrum ſicut tugurium Cucumerarij, quia tugurium eſt flos, qui floret, & fructum non producit, & ſi qua re gaudetis, gaudium veſtrum nihil eſt, nihilque boni abetis, & eſt ſicut fænum tectorem, quòd prius quàm euellatur exaruit, & verè impletum eſt in nobis hoc quòd dicit Propheta, niſi Dominus reliquiſſet vobis ſemen quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles eſſemus, quia in veritate bene eſtis Sodoma, & Gomorra, quantùm ad impotentiam, ſic nos qui remāſiſtis in teſtimonium veſtrum eſtis, & de vobis non fit mentio, tanquam non eſſetis, vnde indubitanter credere, & intelligere debetis Prophetam dixiſſe de iſta captiuitate, & non de illa Nabuchdonoſor,

notor, quoniam in illa captiuitate ſtetitis annis 70. ſicut dicit Ieremias per vitulum quem adoraſtis; in iſta autem in perpetuum ſtabitis, quia manus veſtræ plenæ ſanguine ſunt, ſicut dicit Iſaias in fine Capituli, in eo quòd Meſſiam crucifixerunt Patres veſtri Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; Cognoſcite ergo, Iſaias vos appellat Sodoma, & Gomorra, quoniam dicit: Audite Verbum Domini Principes Sodomorum, & Gomorræ, auribus percipite Legem Dei veſtri, quoniam holocauſta arietum, adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum nolui cum veneritis an-
4 te conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris vt ambularetis in Altaribus meis? Nè offeratis vltra Sacrificia, fruſtrà incenſum, abbominatio eſt mihi, Ceremonias, & Sabbatum, & feſtiuitates alias non feram, Iniqui ſunt cætus veſtri, Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt in moleſtia, laboraui ſubſtinens, & cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculus meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. O' Iudæi aperite oculos cordis veſtri, & videte, audite, & intelligite, quia hæc omnia in vobis impleta ſunt, & cæremoniæ, feſtiuitates veſtræ pro nihilo habentur, quid ſuper hoc dicere vultis? certè contradicere non poteſtis, ſed qui tacet affirmat, ita in vobis ac-
4 cidit. Dixerunt Iudæi. Iſaias dicit; Ecce

Mu-

Mulier concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, hoc nomen debuit impleri in Filio Achaz.

Dixit Ignetus, Reſpondete mihi ad ea, quæ dixi ante de Iſaia: Confitemini, & nolite eſſe reprobi. Reſponderunt Iudæi, ſatis eſſet dicendum ſuper his, quæ dixit Iſaias, ſed loqui nolumus, quia non eſt tempus; reſponde nobis ad ea, quæ tibi oppoſuimus, ſi prophetia illa debuit intelligi in Filio Acham? Reſpondit Ignetus, vnum tantùm verbum dicere, volo adquod reſpondeatis mihi, & ego poſtea reſpondebo vobis. Dicatis mihi ò Iudæi, quodnam peccatum feciſtis, pro quo Dominus percuſſerit vos, & dederit vos, captiuos in omnibus gentibus, & ſeruos, ſcimus enim quòd ſicut vobis prædixi, in captiuitate Nabuchdonoſor vos miſit Deus propter vitulum quem feciſtis, eſt ne verum hoc? Reſponderunt Judæi, verum eſt. Dixit Ignetus, in iſta autem captiuitate ſtetiſtis iam tot ſæculis, quot decurſi ſunt à tempore Chriſti hucuſque, & permanebitis vſque ad conſumationem ſæculi: vndè ergo eſt hoc dixerunt, iam tibi diximus, non audemus ad hoc reſpondere, quia in poteſtate noſtra non ſumus, ſed reſponde nobis ad hoc, quod tibi diximus. Dixit Ignetus, poſtquam vobis placet; reſpondebo: Iſaias Propheta dixit ad Achaz. Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra, ille verò malè, atque

ſuperbè reſpondit Non petam, & non ten-
tabo Dominum; & dixit Propheta, Au-
dite ergo Domus Dauid, Nunquid parum
vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia
moleſti eſtis, & Deo meo, propter hoc da-
bit Dominus vobis ipſe ſignum. Ecce Vir-
5 go concipiet, & pariet Filium, & vocabi-
tur nomen eius Emanuel, quod interpre-
tatur (nobiſcum Deus.) buttirum, &
mel comedet vt ſciat reprobare malum, &
eligere bonum. Iudæi dixerunt, Tu de-
bès ſcire, quòd Achaz tunc obſeſſus erat à
Rafi Rege Syriæ, & à Racha filio Rome-
liæ regis Iſrael, & præliabantur cum eo,
& ſcis quod Dominus, locutus fuit ad Iſa-
iam, & dixit ei; egredere in occurſum
Achaz, & cętera, quæ ſcripta ſunt in Iſaia;
& propter hoc dedit Propheta ei ſignum
dicens; ecce Mulier concipiet, pariet fi-
lium, & concepit vxor Achaz, & pepe-
rit filium; Reſpondit Ignetus, miror de
vobis, quòd ità in dementia loquimini, &
contra veritatem, immò contra vos ipſos.
Nonnè ſcriptum habetis, Alma concipiet,
& pariet Filium, & Alma hebraicè Virgo
interpretatur? Similiter, & Propheta di-
xit pete tibi ſignum à Domino in profun-
dum inferni, ſiue in excelſum ſupra; Di-
cite mihi, ò Iudæi, quòd ſignum eſſet ſi
Vxor tua, vel alicuius alterius conciperet,
& pareret, non eſſet hoc ſignum; & ma-
gnum miraculum fuit, quando Virgo con-
cepit, & peperit Filium; ſimiliter non di-
xit pete tibi ſignum in terra, quod dicitis
ſignum

ſignum in terra eſſe ? Vnde ipſe Deus ſignum de Cœlo dedit dicens, Audite ergo Domus Dauid, quia certè ſcitis, quod Virgo Maria de ſemine Dauid fuit; Iudæi dixerunt, Nos tibi diximus, quòd hoc venit nato filio Achaz. Reſpondit Ignetus, totum credo, & benè debuit eueniſſe audito in terra tàm maximo ſigno, quomomo fuit illud, videlicet quod Virgo deberet concipere, & parere filium Dei Saluatorem Mundi, & ex tunc ipſe cæpit Filius Dei ſigna facere in terra, quia pro annunciatione Prophetæ gaudium fuit in terra; & tunc gentes non intellexiſſent verbum Prophetæ (ipſe Dominus) cuius natiuitas annunciata eſſet in Mundo, voluit illis conſolationem facere, quia ventutus tunc erat ad ſaluandum omnes credentes, & cum etiam ſimiliter non fecerit mentionem Propheta cuius eſſet, vel quæ, & qualis eſſet Virgo, ſed tantùm impropriè locutus, eſt quia ſola Virgo fuit, quæ peperit Beata Virgo Maria de ſemine Dauid, vt adimpleretur quod Dominus iurauerat Dauid dicens; De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam. Iudæi dixerunt. In Salomone impletum fuit hoc, qui fuit Rex poſt Dauid, & cui totus Mundus tributum dedit. Dixit Ignetus quomodo dicere poteſtis quòd Salomon ſedebat ſuper ſedem Domini; Nonne in fine Salomon Idola adorauit, & ſedes Domini non eſt in terra? & quòd ita verum ſit Dauid dicit, Cœlum Cęli Domino, terram autem de-

dit filjis hominum: Dixerunt Iudæi, & Dauid dixit, Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis; & alibi, Reges Tharſis, & Inſulę munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent; hoc totum impletum fuit in Salomone; quia Reges Tharſis, & Aramum, & Sabba adorauerunt, & munera Salomoni obtulerunt; & ſic ſcriptum inuenies in tertio Libro Regum. Reſpondit Ignetus, benè ſcio, & etiam de Regina Auſtri, & alijs multis, ſed reſpondete mihi vos, qui ſine alis volare creditis, & accipitis corticem nucum, & quæ intus ſunt dimittitis; & hoc vos decipit, & ſunt peccata veſtra, quæ vobis occupant intellectum; Dauid quid dixit in paſſu vbi loquitur Deus iudicium tuum Regi da, & Iuſtitiam tuam filio Regis, vbi vnquam inueniſtis quòd aliquis terrenus homo iudicium habeat vel habere debeat niſi ſolus Deus: Deus habet iudicium, & Iuſtitiam, & nemo alius; ſic ſequitur iudicare, ideſt ad iudicandum populum tuum in Iuſtititia, & pauperes tuos in Iudicio; ſuſcipiant Montes pacem populo, & colles iuſtitiam; Iudæi dixerunt hoc totum contigit in tempore Salomonis, quia vnquam Iſrael pacem non habuit, niſi in tempore eius, & hoc tu ſcis ſi legiſti in Libris Legum: Dixit Ignetus; ego patienter auſculto verba veſtra, & non vos mea, & nimis libenter comeditis de corticibus nucum, ſequamini pſalmum, & poſtea quid vltis dicatis; & quid ſequitur, dixerunt

runt Iudæi? Reſpondit Ignetus, Iudicabit pauperes populi,ſaluos faciet filios pauperum, humiliabit calumniatorem, & permanebit cum Sole,& ante Lunam in generatione,& generationem; Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram; orietur in diebus eius Iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna,& dominabitur à mari vſque ad mare, &c. quæ ſequuntur, Quæ omnia impleta fuerunt in Chriſto, quia Salomon nunquam iudicauit, nec iam iudicabit, nec poteſt animas ſaluas facere, neque alius niſi ſolus Deus, nec permanet cum Sole, & ante Lunam, niſi Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Dixerunt Iudæi, & tu iam dicis de nobis, & quæ contraria ſunt tibi taces, quia dictum dominabitur à mari vſque ad mare à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Reſpondit Ignetus, & Salomon hæc fecit? immo video vos captiuos, & tu Magiſter qui dicis, ego ſum de cognatione Sanctæ Mariæ, de filijs Salomonis, iam captiuus es, & alijs ſeruus? Dixerunt Iudæi; in tempore ſuo Salomon Dominus fuit,ſicut ſequitur, coram illo proceſſerunt Reges,& inimici eius terram lingent: Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Sabba dona adducent. Ignetus reſpondit, hoc in Salomone impletum non fuit, ſed in Chriſto, qui adoratus fuit à Magis, & munera ei obtulerunt ſcilicet Aurum, Thus, & Myrrham; Iudæi dixerunt, ita

dicis tu, & alij Chriſtiani, Nos autem de hoc nihil credimus, & ſicut iam tibi diximus: nihil de Nouo Teſtamento apponas, quia penitus nihil credimus. Reſpondit Ignetus; ego de nouo teſtamento nihil appono, ſed opportet me dicere qualiter, & vbi dicta Prophetarum fuerunt impleta in Chriſto, & hoc benè dicere poſſum, & etiam dico vobis, quòd vos in Libris veſtris habetis hoc quod dixi, & ſpecialiter ſicut Herodes occidi mandauit omnes pueros, propter dicta Magorum illorum qui dixerunt, vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vnde nunquam viſum vel auditum fuit quod per Natiuitatem huius pauperis. Pueri interficerentur omnes, hoc nunquam auditum fuit, niſi tunc quando verè natus erat Rex Iudæorum, ſcilicet Chriſtus filius Mariæ Virginis, qui fuit, & eſt Rex Regum, & Dominus dominantium, & hoc dicit Dauid in eodem paſſu, & adorabunt eum omnes Reges, & omnes gentes ſeruient ei; quia liberauit pauperem à poteſtate; & omnia, quæ ſequuntur de Chriſto ſunt, & in Chriſto impleta. Dixerunt Iudæi miramur de te, & quomodo tu contra te ipſum loqui potuiſti quomodo adorant eum omnes Reges, & quomodo ſeruiunt Chriſto omnes Gentes? Saraceni, Tartari, & multi alij qui in ſæculo ſunt non adorant Chriſtum, immo dicimus tibi, quòd deauratos Deos habent, & habetis vos Chriſtiani; Reſpondit Ignetus, ego dico, & affirmo, quòd dominabitur à ma-

à mari vſque ad Mare,& quòd adorabunt eum omnes Reges, & ſeruientei, & ſubiecti ſunt ei. Nonne Deo ſubiecta ſunt omnia viſibilia, & inuiſibilia,& Chriſtus nonne eſt Deus? certè Ieſus Chriſtus Filius eſt 6
Dei, & qui Filius Dei eſt. Reſpondit vnus ex Iudæi videlicet qui vocabitur Rabi, Ita eſt quantùm ad Deum, ſed quantùm ad hominem non. Dixit ei Ignetus Ieſus ſecundum Diuinitatem Deus eſt, & ſecundum humanitatem homo eſt Chriſtus græcè, hebraicè dicitur Meſſias, & latine Saluator, & nemo Saluator niſi Deus; alius verò Iudæus magiſter maior, qui aderat, dixit; Vbi inueniſti quòd Meſſias ſit Deus? Meſſias quãdo veniet erit homo ſicut ego, & tu, potens ex potentia magna, nos liberabit de omni ſeruitute, & reducet nos in Ciuitatem Sanctam Ieruſalem, & omnes nationes ſubijciet nobis.

Reſpondit Ignetus, hoc erit, quando Lepores Leones equitabunt, & calcaribus ſuis percutiens eos, tunc Iuda incipiet regnare. Dixerunt Iudæi non licet nobis de hoc ſimul tractare, ſed reſponde nobis vbi inueniſti Meſſiam eſſe Deum debere? Reſpondit Ignetus, aliàs vobis monſtraui, & hoc cùm moſtrauero vobis,& vos confiteri faciam Meſſiam Deum eſſe, credetis in eum? Iudæi dixerunt, quòd dicis obſerua, benè autem ſcimus, quòd ſi vellemus credere tibi, ita eſſet. Reſpondit Ignetus, nolo vt mihi credatis, niſi tantummodo veritati, ſi conſentire volueritis, & non

negare monſtrabo vobis: Audite Dauid dicentem videbitur Deus Deorum in Syon: & Iſaias dicet, videbit omni caro ſalutare Dei; & alibi Iſaias apertè monſtrat Christum filium Dei eſſe, & Deum, quia dicit paruulus enim datus eſt nobis, & filius datus eſt nobis,& factus eſt Principatum ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, & Princeps pacis;Multiplicabitur eius Imperium, & pacis eius non erit finis, ſuper ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſe debit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodò, & vſque in ſempiternũ, zelus Domini exercituum faciet hoc; confitemini veritatem, & nolite eſſe increduli, ſed fideles, accipite Sacrum Baptiſmum, & dicite bene facere, recedentes ab vſuris, & malicijs veſtris, & ſic cognoſcetis Meſſiam veniſſe, & Deum eſſe Saluatorem omnium in ſe ſperantium: Dixerunt Iudæi multùm te exaltaſti,& verum non dicis; quia non dicit Propheta Deus fortis, ſed Dominus fortis, ſicut tibi dixi de Meſſia; Reſpondit Ignetus, & quis Dominus fortis niſi Deus? nam qui moritur non eſt fortisDominus. Non audiuiſtis quòd magni reges mortui ſunt in terra paruo tempore: mortuus eſt Rex Carulus Rex Galliæ, Rex Aragonum qui maximi in Mundo, erant, quærite fortitudinem eorum, ſi benè fecerunt in vita ſua nunc inueniunt, quia in iudicio iuſti Domini, & fortis venerunt

nerunt, vndè ò Iudæi vos noſcere volo, nemo fortis Dominus niſi Deus, & Propheta dicit admirabilis, conſiliarius, & pater futuri ſæculi, quomodo homo terrenus poſſet eſſe admirabilis, conſiliarius, & pater futuri ſæculi,ò vos qui Magiſtri eſtis, & doctores in Sinagoga non vos decipiatis,& ſi vos decipitis, ſaltem alios non decipiatis, quieſcite agere peruersè, & diſcite benè facere,quia de omnibus animabus eorum qui ſtant ad veſtram Doctrinam Deo eſtis rationem reddituri. Dixerunt Iudæi tu onus noſtrum non portabis, ſed reuertamur ad hoc quod dicit Iſaias, quòd antequàm puer ſciat eligere bonum, & reprobare malum, derelinquetur terra, quã tu deteſtatis à facie duorum Regum ſuorum, hoc impletum fuit in filio Achaz,qui antequam creuiſſet puer, fuit pax, & duo Reges ſubiecti fuerunt ei. Reſpondit Ignetus, dicatis mihi ò Iudæi, in quo vmquam talis virtus fuit eligendum bonum, & reprobandi malum niſi in Deo; non in Abraham, non in Iſaac, non Iacob, non in Moyſe, non in Dauid, non in aliquo Propheta vmquam fuiſſe talem virtutem inuenietis, quod ſciret reprobare malum, & eligere bonum, vos enim ſcitis, quòd nemo ſanctior Dauid, & peccauit, nemo Salomone ſapientior,& peccauit,nemo Sanſone fortior, & peccauit. Cùm verò neque in ſancto, neque in ſapienti, neque in forti hæc virtus fuerit, opportuit eſſe in Sancto Sanctorum ſcilicet Chriſto, de

quo ait Daniel vngatur Sanctus Sanctorum.

His dictis alijs occupatus negotijs Ignetus diſceſſit, abieruntque Iudæi ſeruantes colloquia in craſtinum de cæteris.

INTERLOCVTIO.

EA eſt (fratres Iudæi) Diuini in Nos amoris vis, & efficientia, vt intellectus noſtri aciem ita excedat, quòd mens noſtra niſi fidei lumine illuſtrata fuiſſet, credere nonumquam potuerit, & cognoſcere quæ præparauit Deus diligentibus ſe: contrarium verò in vobis euenit, qui perfidiæ veſtræ perſeuerantia mentem velantes, Deum non tantùm in operibus ſuis quæ fecit cognoſcere non poteſtis, ſed ipſum (cum de virtute eius, poteſtate clarum exemplum à Prophetis edocti ſitis) vt Filij ſui Redemptoris auctorem negatis, & ingentibus veſtris modo veſtro prædicantes perſequimini; Quod manifeſtè apparet, dum procacitas veſtra ad iter impediendum ad lumen fidei ſemper fuerit prochuis, & parata. Herodes inſidias tendit veræ viæ Ieſu à teneris annis in ſæuiſſima innocentium cæde, in capitis Ioannis Baptiſtæ inciſione, in Petri carceratione, in Apoſtolorum perſecutione, in falſa ipſius Chriſti accuſatione, in mortes eiuſdem petitione, in Reſurrectionis occultatione, dicentes, Dicite, quòd Diſcipuli eius venerunt, & vobis dormientibus furati ſunt,

ne

ne amplius diuulgaretur in populum; poſtmodum in Stephani lapidatione. Vos ſemper Spiritus Sancto renuiſtis; quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri? & occiderunt eos qui pronunciabant de aduentu iuſti, cuius (ad perficiendum opus immanitatis veſtræ) proditores, & homicidæ fuiſtis; in eodem etiam tempore, miſit Herodes manus vt affligeret quoſdam de Eccleſia, occidit autem Iacobum gladio, appoſuit vt apprehenderet Petrum, & ad iracundiam animas gentium concitantes, conſilium inierunt vt Paulum occiderent, itaut Damaſci in ſporta fuerit per murum demiſſus, vt catenis vinctus Romam transmiſſus Cæſari rationem redderet; vniuerſam Eccleſiam tamquam Lupi inſectantes, Chriſti fideles parui pendentes, quadam inani gloria elati aſſerebant vineam eſſe à Deo electam ex Egypto trãſlatam, in deſerto annis quadraginta manna, & coturnicibus enutritos, cùm ipſis 8
rectum fuerit patefactum iter, in nocte in columna nobis, & terram Chanaam fluentem lac, & mel, gentem ſanctam, populum acquiſitionis, regale ſacerdotium, ſuam eſſe Prophetiam, templum, ſacrificium, incenſum, holocauſta, cæremonias, arcam, legem; Hæc, & maiora Dominus beneficia patribus veſtris contulit. Vobis verò quid obtulit, quid boni oſtendit? Mirum non fiat, nam ambulantes in tenebris, Redemptionis opus, miſericordiæ Dei veſtri Fontem guſtare recuſatis. Popule

pule nequam abſque conſilio, & prudentia, dixit Iſaias. Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Magna eſt demencia tua; Caue tibi; verba veritatis ne derelinquas; Et qui fuiſti ante Chriſtum Populus Dei, conſidera nunc eſſe Populi Dei lutum, immò ipſius Dei opprobrium, iram, & deriſionem. Fuiſti iam vinea electa, nunc verò labruſcas proferens; fuiſti oliua ſpecioſa in Campis, ſed tanquam in fructifera nunc ramos amiſiſti; fuiſti gens electa, nunc ob cordis duritiem eiecta; fuiſti populus acquiſitionis, ſed nunc diſperſionis; fuiſti Regale Sacerdotium, ſed nunc Rege, & Sarcerdote priuatus; irriſiſti tunc gentes, nunc populis es in deriſum. Hoc Regius Propheta de te prædixit. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam; Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſanatio, & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt, &c.

Noli ergo inimicitiam ampliùs augere cum Deo; Iam ſatis hucuſque inſæuiſti; quòd quales fuerint perſecutiones tuæ nec mente concipi, nec calamo deſcribi diuturno tempore poſſunt; omni conatu tentaſti; omni dolo contra Chriſtum, & Chriſtianus procedis, at vanæ ſunt cogitationes tuæ contra Deum. Ante Chriſti Aduentum via vitæ latebat, vbi verò ſurrexit nota facta eſt in gentibus; Vt Dauid teſtatur; Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis

plebis me lætitia cum vultu tuo, Chriſtus docuit fidem, miſericordiam, Iuſtitiam, & ſalutem; his nitere, ſi cupis peruenire ad vitam. Salue.

CAP. IX.

De his, quæ futura erant in Meſſia.

Notab. Oratio pro Iudæis nu.1. Sceptrum Iudæ num.2. viſio Danielis de Tempore Meſſiæ nu.3. Chriſtus Veritas eſt. nu.4.

REdeunte ergo Igneto ad certamen; Ecce Iudæi dixerunt: Dic nobis, Cur, ſeu qua de cauſa Prophetæ non dixerunt apertè, veniet Chriſtus Filius Mariæ, & ipſe erit Saluator omnium; & tali tempore veniet, & baptizabitur, vt mentes omnium claræ eſſent, & intelligerent, & tempus aduentus eius ſcirent; ita vt de eò nemo dubitaret? Reſpondit Ignetus, Hoc totum ſi monſtrauero vobis, quod tali tẽpore Meſſias debuit veniſſe, & venit ſiue, debuit baptizari, & baptizatus fuit, debuit occidi, & occiſus fuit, & qui eum negauerit de eius populo non erit, & omnia prout melius, & clarius ſcribi poſſent ſic ſcripta ſunt à Prophetis, ac nunciata; & ſi hoc faciam; Credetis in eum? Dixerunt Iudæi, hoc nos neſcimus, tamen benè firmiter ſcimus, quod nemo Prophetarum

de aduentu diei eius vnquam locutus fuit. Dixit Ignetus, ita fuit, monſtrabo vobis. Dixerunt Iudæi. Dicas; Dixit Ignetus; Ira impedit animum, & peccatum tollit mentem, & intellectum; vnde ad intelligendum, & cognoſcendum diem Aduentus Meſſiæ, remoueatur ira à cordibus veſtris, & de peccatis Pænitemini, & hoc facto intelligetis, & cognoſcetis diem ſalutis, & aduentum Meſſiæ. Dixerunt Iudæi, hoc nos ſcire vehementer deſideramus, ſed ſi omnes Clerici, & Fratres Minores, & Prædicatores, Doctores, & ſapientes Chriſtianorum ſimul eſſent, hoc facere, non poſſent; Et tu qui Mercator es credis hoc facere? te ipſum decipis; nam melius, & audacius hoc decet Prædicatores, quorum intereſt diſputare in his, & conſulere. Et volumus tibi dicere, & affirmare, quod in tempore D. Iacobi Boni Regis Aragonum, qui fuit Auus D. Alfonſi ſubinde regnantis, fuerunt congregati Patres Prædicatores, Fratres Minores, & Fratres Paulus qui fuerat Iudæus, & multi alij peritiſſimi Chriſtiani, & ſimiliter plures Legum Doctores, & diſputauerunt cum meis Iudæis i finis qualis fuerit, interroga eos, qui aderant, & ſcies Chriſtianos fuiſſe ſuperatos. Reſpondit Ignetus, de hoc nunquam verbum audiui, tamen multum rogo vos quòd ſi in ſcriptis habetis diſputationem illam, quæ mihit ſit exemplo, tradatis, quia deſiderio magno deſiderio vt habeam translatum ipſius.

Di-

Dixit Iudæus, benè habemus, & per vniuerſum Mundum eam miſimus noſtris Iudæis. Dixit Ignetus, quare de ipſa non vos adiuuatis, & cur non oppoſuiſtis ea, quæ oppoſita fuerut Chriſtianis prout dicitis, & de quibus apparet quòd Chriſtiani remanſerint ſuperati, quod non credo, nam Frater Paulus ibi erat. Dixerunt Iudæi non decet Nos de tàm obſcuris verbis tantum loqui, quia non intelligeres. Reſpondit Ignetus. Ego vſque nunc reſponſionem à vobis habere non potui de aliquibus, quæ vobis oppoſui, vnde ſi ita eſſet vt aſſeritis, feciſſetis reſponſionem, ſed quia ſuperati eſtis, ideo contradicere non poteſtis, dum veritati conſentire velitis: quare nihil credo de toto eo quod dixiſtis, & vobis dedecus eſt, quòd ab homine ſimplici, & Mercatore ſuperemini, & vincamini, videte quid faceretis, ſi hic eſſet aliquis Sapiens Scripturarum? Dixerunt Iudæi, pro verbis tuis non remouetur veritas de hoc, quod fuit: reſponde ad hoc, quod tibi oppoſuimus, ſcies poſtea ſi ſuperati, aut victi erimus. Reſpondit Ignetus, ſi vobis monſtrauero; confiteri vos faciam, & tam apertè quomodo monſtratur lapis, ſeu baculus in manu alicuius, vocabitis vos victos, & baptizabimini? Dixerunt Iudæi ſi hoc nobis moſtrare poteris, illico baptizabimur. Dixit Ignetus: vnum volo faciatis, quod tam Iudæi, quã Chriſtiani, & Saraceni facere poſſunt, ſine alicuius contradictione legis. Dixerunt

runt Iudæi, quid facere debemus? Reſpondit Ignetus. Orationem hanc, videlicet.

1 Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus qui creaſti omnia viſibilia, & inuiſibilia, & cui omnia ſubiecta ſunt, homines, & iumenta, volucres Cœli, & piſces Maris, te Deum, & Dominum noſtrum deprecamur, vt nobis ſanctam gratiam tuam donare digneris, vt viam veritatis, & ſalutis cognoſcamus. Et vnus ex Iudæis dixit; ſancta, & iuſta oratio eſt, & omnes alij hoc dixerunt. Dixit Magiſter maior: hanc orationem nunquam faciemus, quia videretur animus meus de lege mea dubitare, ego enim non dubito ſed certus ſum. Dixit Ignetus; & ſi ego vobis monſtrauero meliorem viam, & in manibus veſtris ponam quid quæritis? cur non accipitis vt fruſtra vltra non laboretis; Dixit Iudæus, hæc verba tollent diem: Melius eſt quod reſponſionem nobis facias, & quòd facias nos baptizari, & eris patrinus noſter. Reſpondit Ignetus, & ego monſtrabo, & reſponſionem quam quæritis vobis faciam, ſed benè ſcio, non vos obſeruaturos quod promiſiſtis, ſicut fecit hic Rabi de eo, quod in Logiam noſtram promiſit, præſentibus multis de fonte Hieruſalem.

Vnde videamus ò Iudæi. Iacob Patriarcha noſter dixit; Non auferetur ſceptrum à Iuda, nec dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus eſt, ipſe erit expectatio gentium. Videtur ne vobis, quòd

hic

hic apertè demonſtret aduentum Meſſię, oſtendite mihi Sceptrum ſen Ducem, quòd habetis, ſeu habueritis à Chriſti tempore citrà, videlicet Paſſionis eius? Dixerunt Iudæi. Cur non venit quando ſtetimus 70. annis in captiuitate Babiloniæ, quoniam tunc, & ſceptrum, & Ducatum habuimus? Reſpondit Ignetus ita habebatis tunc ſed non habetis nunc, quia plures Prophetæ erant, qui verbum Dei quotidie vaticinabantur, & poſtea plures fuerunt vſque ad tempus Chriſti ſed à temporis Chriſti citrà nullus Propheta viſus, ſeu auditus fuit. Dixit Rabi Iudæus, dic nobis, cur ita benè hic non intelligis, Iuda pro confeſſo, ſicut in prophetia Hieremiæ, & vbi dicit, in diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter; Tu mihi dixiſti in Naui ad portum, primùm quò Iuda intelligebatur in lingua mea confeſſus, quòd verum eſt, quare ergo hìc non ita bene intelligitur Iuda pro confeſſo? Reſpondit Ignetus, ſi vis pro confeſſo, ſit; ita vos ſcitis quòd in tempore illo, nemo Deum Cœli confitebatur niſi Iudæi ſoli, pro quo ad tuam rationem victus es. *Sed* ad veritatem dicendam Iacob de Iuda filio ſuo, & ſeminę eius locutus fuit ſcriptum eſt in Libro Geneſis, hoc negare non poteſtis, iterum dixit Ignetus, Moyſes autem Legislator dixit: Prophetam excitabit vobis Dominus Deus de fratribus veſtris, omnis anima, mea quæ non audierit Prophetã illum exterminabitur de populo ſuó; Dauid autem dixit:

Filius

Filius meus es tu, ego odie genui te;& ſcire debetis, quòd ideò dixit Dauid, ego hodie genui te, quia Deus tempus non habet, nec præſens, nec præteritum, nec futurum, quia ſine principio, & ſine fine eſt; & qui non habet principium nec finem, tempus non habere dicitur. Dixerunt Iudæi, totum hoc verũ eſt, ſed quando Meſſias veniet recuperabimus hoc totum quòd amiſimus? Ignetus reſpondit, & ego monſtrabo vobis diem nominatim, & ad diem, & tempus veniet ſicut Propheta Daniel dixit, quando orationi ceſſauit reuelare quam ab Angelo recepit, quoniam vos ſcitis quòd Daniel orauit ad Dominum, ſi amplius miſertus eſſet de Ciuitate Sancta ſua Ieruſalem, & de populo ſuo; Angelus Domini annunciauit dicens; Septuaginta hebdomadæ abbreniatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem Sanctam tuam, & conſumetur præuaricator, & finẽ accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, adducatur Iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum; ſcitore ergo, & animaduertite ab exitu ſermonis, vt iterum ædificaret Hieruſalem vſque ad Chriſtum Ducem hebdomadas ſeptem, hebdomadæ 63. erunt, Rurſum, ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomadas 62. occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, ciuitatem, & Sanctuarium diſſipauit populus cum Duce venturo, & finis eius vaſtitas, &

poſt

poſt finem belli ſtatuta deſolatio : confirmabit autem pactis multis hebdomada vna,& in dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia, & ſacrificium, & in templo erit deſolatio. Quid vobis videtur ò Iudæi? intellexiſtis hæc omnia ? videtur vobis quòd apertè Daniel demonſtret diem ac tempus Aduentus Meſſiæ qui dicitur Chriſtus, & Paſſionis eius? Dixerunt Iudæi, hæbdomadas iſtas quomodo, intelligis tu? Reſpondit Ignetus, ſicut, & vos, quia vna quæque hebdomada ſeptem annorum fuit, & inter me, & vos de hoc non eſt quæſtio. Iudæi dixerunt, ita fuit; Quomodo ergo tu hoc intelligis in Meſſia; Ignetus Reſpondit: quando Daniel hanc viſionem ab Angelo recepit, iam ſteterant Iudæi per duas hebdomadas in captiuitate, quia ab acceptione Hieruſalem vſque ad annum primum Darij fuerunt anni 14. & vos hoc ſcitis,quia Nabuchdonoſor anno primo ſui imperij deſtruxit Hieruſalem, & anno ſecundo vidit ſomnium arborum, & anno tertio fenum comedere incepit, & per annos ſeptem fœnum commedit, & cum feris fuit habitatio eius, & in fine temporum in Regno ſuo ſublimatus fuit, & ſucceſſit Baldaſſar, & ab anno primo Darij, vidit Daniel viſionem, & ſic fuerunt completæ Hebdomadæ, videlicet anni 14. eſtne verum hoc? Dixerunt Iudæi, verum eſt totum, & hoc Propheta apertè demonſtrat: & iterum Ignetus dixit: & à tempore viſionis illius vſque in tem-

tempus Ananiæ, & Eſdræ ædificationis Hieruſalem fuerunt hebdomadæ octo, ſcilicet anni 56. Ita eſt dixerunt Iudæi. Iterum dixit Ignetus, & qui tollit hebdomadas 8. de 70. quot remanent? Dixerunt Iudæi omnes 62. Dixitque Ignetus, ergo bene impletum eſt quod dixit Propheta, vnde volo mihi dicatis, & videatis in Libris veſtris, ſi à tempore ædificationis Hieruſalem vſque ad tempus Paſſionis Chriſti fuerunt hebdomadæ 62. videlicet Anni 434. hoc negare non poteſtis. Tunc Iudæi inter eos hæbraicè loquentes quæſiuerunt rationem temporum, & annorum numerum, & inuenerunt verum eſſe dicentes, negari non poteſt. Dixit Ignetus, ſi ergo verum eſt, qui non credit in Ieſu Chriſto non erit de eius populo, ſicut Propheta dixit, & non erit eius populus qui eum negaturus eſt. Dixerunt Iudei: Tu verò quomodo intelligis hoc, qui eum negaturus eſt? Reſpondit Ignetus Propheta dixit quòd ab ædificatione Hieruſalem vſque ad Chriſtum Ducem 62. erunt hebdomadæ, & occidetur Chriſtus, & non erit eius Populus qui eum negaturus eſt; Si ergo tempus completum fuit, & Chriſtus occiſus fuit, in hoc poteſtis intelligere Chriſtum, & diem, quoniam expreſsè, & nominatim Propheta narrat; vnde quod quæritis inueniſtis, præparate, vos ad Baptiſmum. Dixerunt Iudæi, non dicit Propheta, occidetur Chriſtus, ſed truncabitur. Reſpondit Ignetus: quid ad nos? qui

qui truncatur occiditur, Dixerunt Iudæi, Non dicit de perſona Meſſiæ, ſed de templo, quod fuit truncatum, & deſtructum à Romanis. Reſpondit Ignetus: quomodo dixit Propheta, non erit eius populus, qui eum negaturus eſt; quomodo auſi eſtis dicere de templo? Nonne dixit vngatur Sanctus Sanctorum? Et quando vnquam vnctum fuit templum? templum verò fuit opus manuſactum ex lapidibus, lignis, & alijs diuerſis rebus, & deſtructum; parietes ergo, & ligna vultis facere, Sanctus Sanctorum? Quis eſt Sanctus Sanctornm niſi Deus? & adhuc dico vobis, nonne habetis pronomina Maſculini, fœminini, & neutrius generis, ſicut & nos? Reſponderunt Iudæi, ita eſt. Ignetus dixit: Templum eſt generis neutrius, & Propheta loquitur in Maſculino; & debetis ſcire, & indubitanter credere quod de Meſſia, qui dicitur Chriſtus locutus fuit Propheta, & in hoc victi eſtis, & ſuperati, & confeſſi fuiſtis, & hoc negare non poteſtis, & tempus illud tranſactum iamdiù eſt de annis 1671. quod hoc debuit fuiſſe, & fuit ſine dubio, & non haberetis inde aliam rationem, niſi quod tranſactum ſit tempus, & ſcire debetis, & cognoſcere, ac ſine dubitatione aliqua intelligere Chriſtum Meſſiam veniſſe; & tunc Iudæi mirabiliter ſtupefacti confuſi ſteterunt, & inter ſe hæbraicè loquentes cogitauerunt quid reſpondere poſſent.

IN-

INTERLOCVTIO.

EX hucuſquæ dictis non parum luminis attuiſſe cordibus veſtris veritatem Dei filiam cognoſco, ſed cùm operibus Dei nullam fidem adhibeatis, nil mirum ſi veritatem expellatis, qui filium Dei ipſius negatis. Chriſtus veritas appellatur, vt Dauid oſteudit, Veritas de terra orta eſt, & Iuſtitia de Cœlo proſpexit; terra dedit fructum ſuum, ideſt: Iuſtitia Dei voluit de terra veritatem oriri. Liberi Arbitrij Iudex in vobis adhæret malo; Tentatione æternæ malorum Pater, qui Diabolus eſt, vos torquet: Cui reſiſtere non poteſtis; malitia veſtra vos ſuccumbere facit, & qui ad inſtar Luciferi in pęnam audaciæ diſperſi vagamini, ſub Principe tenebrarum cæci ambulatis, vt veritatem Dei veſtri non perſpiciatis, ſeditionem ergo perpetuis temporibus faciet peccatum, veſtrum vt ſerui efficiamini, qui Principem habere Chriſtum vos pudet. Nolite tentationi parere falſam Doctrinam ſectantes, quia domeſticis hoſtibus veſtris morte moriemini; Habetis Chriſtianæ Fidei Arma quibus hoſtes expugnetis. Vnus eſt Magiſter veſter Chriſtus; Rex Regum, & Dominus dominantium; Hunc ſequamini, vt cùm Iob dicere poſſitis, ſana Domine animam meam, quia peccaui tibi, & cum Dauid: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea

quem

quem timebo? &c. Ac vt melius confirmemini, audite quæ ſequuntur, & veritatem de veritate percipite.

CAP. V.

De vera expoſitione Pſalmi Miſerere mei Deus.

Notab. Chriſtus Redemptor Mundi nu.1. De Baptiſmo num.2. Pax Dei num.3. Trinitas num.4. Senſus Dauid de Captiuitate nu.5. Captiuitas prima nu.6. Captiuitas ſecunda cum maledictione numer 7. variè opiniones ſed finis vnus num.8. Readificatio Hieruſalem quid ſignificet num.9. Quale requirat Deus ſacrificium num.10. Quid ſit imponere ſuper altare vitulos numer.11. Quid ſit veritas num.12.

HAbito conſilio Iudæi, vt Igneti rationibus reſiſtere poſſent, dixerunt: Nos non habemus Danielem Prophetam, licet in numero Prophetarum ſit; non fuit Propheta, ſed viſionum interpretator; & dixit eis Ignetus, nunc verè video quod Sanctuarium Samaritani eſtis, & ſicut victi loquimini, nam blaſphemia magna, eſt hoc quod dixiſtis Danielem non eſſe Prophetam, & vultis mendacem facere Angelum Dei; vnum autem de vobis video, & cognoſco, quòd vos benè cognoſci-

gnoſcitis Meſſiam veniſſe, videlicet Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt
1 Saluator omnium in ſe ſperantium, & qui humanum genus redemit ſuo Sanguine; & de hoc teſtatur Dauid dicens. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis; & alibi idem Dauid dicit. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferni cùm acceperit; Similiter Dauid Paſſionem Chriſti apertè oſtendit, ſicut clarè Sanctus Euangeliſta Matthæus dicit in 21. paſſu, qui incipit hæbraicè Ely Ely, Lamaſabatani, & latinè ſcriptum ſignificat, Deus Deus meus reſpice in me, cur me dereliquiſti? & in prædicto Pſalmo inuenietis ſicut mouentes capita blaſphemabant eum, & ſicut manus eius, & pedes eius foſſi fuerunt, & veſtimenta diuiſa, & aqua effluxit, & cætera alia, quæ in Chriſto impleta ſunt; Dixerunt Iudæi: vbi inueniſti quod Meſſias debuit baptizari? Reſpondit Ignetus, in Dauid, cùm inquit Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam; quia in hoc Pſalmo omnem humilitatem inuenietis; &
2 orando Dauid Prophetauit Baptiſmum; Dixerunt Iudæi: hoc non cognoſcimus; Dixit Ignetus: ego faciam vos cognoſcere; quoniam Dauid dixit: Aſperges me Domine Hyſſopo, & mundabor lauabis me, & ſuper niuem dealbabor; dixerunt Iudæi: incipe à capite Pſalmi, placet mihi dixit Ignetus, Dauid orauit dicens: Miſerere

ſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam; & quomodo voluit deleri iniquitatem, ſeu peccatum primum Patris Adæ in Baptiſmo patet in ſequenti. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me; Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris; ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea. Videte ò *Iudæi*, quòd apertè demonſtrat Baptiſmum, & quòd non poteſt liberari niſi in lauacro, & oſtendit peccatum Patris Adæ in eo, quod dicit, Tibi ſoli peccaui, quia loquitur in tertia perſona, & peccatum Matris, concepit me Mater mea, & in ſubſequenti mirabiliter baptiſmum oſtendit dicens; ecce enim veritatem dilexiſti, incerta, & occulta Sapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi; quia tunc benè erat incertus, & occultus Baptiſmus, & Dauid ipſum cognouit, concedente *Spiritu Sancto*, & dixit Aſperges me Domine Hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Presbiter aqua baptizat in nomine Patris, & Filij, & *Spiritus Sancti*. Meſſias autem dictus Chriſtus Baptizat *Spiritu Sancto*, & de hoc Sanctus Ioannes Baptiſta teſtatur dicens; ego quidem baptizo vos

aqua, veniet poſt me qui prior me factus eſt, & baptizabit vos Spiritu Sancto, & & Dauid ſubſequendo dicit: Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata; Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele, In hoc intelligere, & cognoſcere debetis quòd pro lauacro illo ſacro Meſſiæ animę Sanctorum Patriarcharum,& Prophetarum, omniumque aliorum Sanctorum virorum, & iuſtorum, quæ à cœleſti gloria alienatæ erant,propter peccatum Adæ, exultauerunt Baptizato Chriſto; & ideo ſicut exultabunt oſſa humiliata; quoniam ex tunc cognouerunt, quòd appropinquauit Redemptio; Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele; Tunc diſcordium quod erat inter humanum genus, & Deum Patrem propter peccatum Adæ remiſſum fuit. Chriſtus autem Dei Filius fecit hanc pacem moriendo in Cruce, & in natiuitate eius Angeli hominibus annunciauerunt dicentes, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Dixerunt Iudęi; Nos tibi diximus quòd non loquaris de nouo Teſtamento. Dixit Igetus. Ego non loquor de nouo teſtamento; niſi in oſtendendo Prophetarum impletionem, ſicut prædixi vobis. Iudæi dixerunt: ſequere Pſalmum, & videbis quomodo tibi erit,& ſi cuncta quæ dixiſti ad nihilum reuertentur, quia omnia, quæ Prophetæ locuti fuerunt opportet quòd impleantur, &

ſi

ſi aliquid deficit, quod non impletum ſit, non venit Meſſias. Reſpondit Ignetus: omnia impleta ſunt, quæ in Chriſto impleri debent, & quæ non ſunt obliuioni
tradita; volo vobis loqui de Pace quam 3
Angeli annunciauerunt hominibus; Audite Dauid in Pſalmo qui incipit Benedixiſti Domine terram tuam; quia totus ille Pſalmus de Chriſto, & de Aduentu eius loquitur, & alibi. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis; & quid eſt ſalutare Dei, niſi Ieſus Chriſtus filius Dei? de quo Dauid ſubdendo dixit: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor; Veruntamen prope timentes eum ſalutare ipſius, &c.

Quid vobis ò Iudæi videtur, ecce teſtificatio pacis, & in veteri teſtamento, & ideo dixit, in plebem ſuam, quia cum audiuit, prout dixi vobis in Iſaias, & populus meus non intellexit. Dixerunt Iudæi; Non te excuſes, nec poſtponas hoc, quod incepiſti de Dauid, quoniam iam cognoſcis quòd contra te loquitur, & ideò alias quæris ſcripturas. Reſpondit Ignetus: vobis accidit ſicut Vrſo, qui gladium ad ſe trahit, & in ſuo corpore mittit, quia ea, quæ creditis contra me eſſe, contra vos ſunt, ſicut de peccatis hodie, & alia die dicitis; & ideò audite quòd contra vos eſt, ſiue ad terrorem veſtrum. Quidnam ſigniſi-

Digitized by Google

gnificat, Cor mundum Crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proicias me à facie tua, & ſpiritum Sanctum tuum ne auferas à me; Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me? videtur ne vobis ò Iudæi hoc benè in Chriſto fuiſse impletum, quia dicit, cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis? & quæ eſt renouatio ſpiritus recti niſi parcere peccatis? quoniam Adam ſine peccato creatus fuit, & ſuaſione Diaboli peccauit, ex quo, vt vobis dixi totum humanum genus à gloria Dei alienatus erat; & poteſtis intelligere quòd ſpiritus rectus innouatus fuit in viſceribus eius, quoniam Beata Virgo Maria concepit, & peperit Filium Dei Ieſum Chriſtum, nam virgo illa benedicta de ſemine Dauid fuit, & poſtea dicit Dauid, ne proicias me à facie tua, & ſpiritum Sanctum tuum ne auferas à me. In hoc intelligitur. Dauid rogaſſe Deum vt non proiciatur ab eo; ſed quòd ei promiſit Deus, detur ei, quando ad eum dixit. Filius meus es tu, & de Fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam; ſicut iam hodie dixi vobis; hoc in loco intelligitur, quòd ſicut primus Parens in Paradiſo, & in requie poſitus fuit, ita Dauid, & qui erant venturi iuſti poſt eum, haberent gloriam, quam amiſerat Adam, in eo, quòd dicit, & ſpiritu principali confirma me, ideſt à Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt lætitia iuſtorum.

rum. Sufficiunt ne vobis hæc, an quæritis
plura audire, ò Iudæi? Dixerunt Iudæi,
lege, & ſequere, videbis quid inuenies.
Ignetus reſpondit, ego inuenio, quòd Da-
uid dicit docebo iniquos vias tuas, & im-
pij ad te conuertentur. Certè quò plus le-
go, eò plus contra vos eſt, quia inuenio,
quod impij, & Samaritani, Publicani, &
peccatores, ac Gentiles conuerſi ſunt in
tempore Chriſti, & etiam poſt tempus
Chriſti vſque nunc, & in hoc verè imple-
tum eſt, & docebo iniquos vias tuas, &
impij ad te conuertentur. Libera me de
Sanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, &
exultabit lingua mea iuſtitiam tuam, in
hoc loco apertè cognoſcere, ac intellige-
re poteſtis (ſi duritia à cordibus veſtris re-
mouetur) Patrem, & Filium in eo, quòd
dixit, Semel locutus eſt Deus Deus, duo
hæc audiui, quia pietas Dei eſt, & tibi Do- 4
mine miſericordia, quia tu reddes vnicui-
que ſecundùm opera ſua, hic in perſona
Patris loquitur Dauid, in tertia perſona,
quando dicit pietas Dei eſt; & in perſona
Filij, & Spiritus Sancti quia tu reddes
vnicuique ſecundùm opera ſua. Certè
certè ſi oculos aperire vultis, nunc intel-
ligere debetis veritatem in Trinitate, vt
alibi dicit Dauid: Dixit Dominus Domi-
no meo ſed à Dextris mei, Donec ponam
inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum;
cui nam loquitur Deus, quando ait dixit
Dominus Domino meo? Reſponderunt
Iudæi: in hunc Pſalmum pſallebant Sa-

cerdotes in Domo Domini de Rege Dauid,dicentes quòd Deus dixerat ad Dauid, & appellabat eum Dominum. Igetus dixit. Miror de vobis ſapientibus, qui eſtis ad tantam dementiam, & ſtultitiam, deuoluti; quoniam Dauid ipſe fecit pſalmum, & non Sacerdotes, nec Dauid ſedet à dextris Dei, & ſi de Dauid dixiſſent Sacerdotes, ipſi dixiſſent, dixit Dominus Domino meo, & etiam Dauid apertè demonſtrat de Filio, quando dixit, in ſplendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te. Dixerunt Iudæi, Hoc non eſt, lege, & inuenies. Reſpondit Ignetus: & dixit, virgam virtutis tuæ emittit Dominus, ex Syon in ſplendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te; Dixerunt Iudæi: hoc dicitis vos Chriſtiani, ſed in Libris noſtris non inuenies, genui te. Reſpondit Ignetus: quomodo ergo dicit Dauid, Tecum principium? an vultis dicere quod Dauid fuerit à principio in ſplendoribus Sanctorum? ò Iudæi, ne tardetis ad conuerſionem, & non vos ipſi decipiatis, & alios, qui ad doctrinam veſtram ſtant, quia in aliquo non poteſtis contradicere,Meſſiam veniſſe. Dixerunt Iudæi. Reuertere ad hoc quod incepimus de Dauid, & non habeas excuſationem in his verbis, quia opportet te venire ad veritatem, videmus enim te libenter fugere, & ſequeſtrari ab eis, quæ tibi contraria ſunt; Reſpondit Ignetus: vtinam ſic poſſet fieri, quòd ſcirem fugere, & ſeque-

queſtrare me ab eis, quæ mihi contraria eſſe poſſent, magnam gratiam haberem à Deo, ſi hoc ſcirem facere; Dauid autem hanc gratiam non habuit. Dixerunt Iudæi: non tibi dicimus de hoc, ſed de pſalmo quem incepiſti de Baptiſmo. Dixit Ignetus: & quid ſuper hoc dicere vultis? Dixerunt Iudæi: lege vltra, & inuenies quæ ſequuntur, & de ore tuo te opportet dicere, & ipſum iudicare. Ignetus dixit: placeret mihi nos confiteri veritatem, ſicut ego confiteor, quia adhuc me non inueniſtis contradicere veritati, vt vos facitis, legam ergo vſque ad finem pſalmi, ne poſſitis me in aliquo reprehendere, ſequitur Dauid: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam, quoniam ſi voluiſſes Sacrificium, dediſſem vtique, holocauſtis non delectaberis; Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies, Benigne fac Domine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur Muri Hieruſalem; Tunc acceptabis ſacrificium Iuſtiſtiæ oblationes, & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Gratias agimus Dei Dixerunt Iudæi, te ipſum iudicaſti. Reſpondit Ignetus. In quo me iudicaui? non me ſed vos iudicaui; Monſtrate mihi iudicium quod vos inuoluiſtis; in oculo alieno vos cognoſcitis feſtucam, in veſtris autem trabem non videtis? Dixerunt Iudæi, nonne hic dicit Dauid, & ædificentur muri Hieruſalem,

ruſalem, & imponēt ſuper altare tuum vitulos? ecce ſunt caſſa omnia, quæ dixiſti, & in nihilo reuerſa ad vnum tantùm verbum; tunc exultantibus Iudæis maximè, cæperunt ridere magno riſu dicentes; Reſponde nobis. Ignetus reſpondit: video vos ridere, & nihil ad huc oppoſuiſtis mihi, in quo reſpondere vobis debeam: Dixerunt Iudæi: Dic nobis ſi tibi vedetur quòd muri Hieruſalem reædificari debeant, & vituli poni ſuper altare Domini? Reſpondit Ignetus, & propter hoc cecidiſtis in tantam exultationem, & riſum? riſus veſter conuertetur in fletum, ſi veritati contradicitis, ſed ſi veritatem confeſſi eritis benè erit vobis riſus, & gaudium. Volo mihi dicatis ſi Dauid fuit ante Nabuchdonoſor, vel poſtea? Dixerunt Iu-
5 dæi: antea fuit. Ignetus ait, ſi velimus temporaliter accipere dicta, hæc adimpleta fuerunt in ædificatione Eſdræ, & Ananiæ; ſed Dauid hoc loco non facit mentionem de captiuitate illa, neque de iſta, quia benè oſtendam vobis, vbi loquitur Dauid de captiuitate illa; & non de iſta, de Captiuitate illa autem loquitur in Pſalmo, qui incipit, Conſitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius; ſed quia nimis longum
6 eſſet ſuper eo loqui, videamus id quod pro nobis eſt, dicit enim Dauid. Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas Demonijs, & effuderunt ſanguinem innocentem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum,

quas

quàs ſacrificauerunt ſtultis. Chanaam, & interfecta eſt terra in ſanguinibus, & condemnatio eorum eſt in operibus, & fornicati ſunt in ad inuentionibus ſuis, & abhominatus eſt hæreditatem ſuam, & tradidit eos in manu gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos, & tribulauerunt eos inimici eorum; & humiliati ſunt ſub manibus eorum, & ſæpè liberauit eos, ipſi autem exaltauerunt eum in conſilio ſuo, & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis, cùm tribularentur, & exaudiuit orationem eorum, & memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuę, & dedit eos in medio in conſpectu omnium, qui cæperant eos. Saluos nos fac Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini ſancto tuo; & gloriemur in laude tua. Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo, & vſque in ſæculum, & dicet omnis populus, fiat, fiat. Hoc ò Iudæi apertè demonſtrat captiuitatem illam propter Idola, quæ adorauiſtis, & poſtea oſtendit miſericordiam, & reſtaurationem, & ad hoc penitus contradicere non poteſtis. De captiuitate verò iſta maledicendo vos loquitur in pſalmo qui incipit: Deus laudem meam ne tacueris, quoniam os peccatoris, & doloſi ſuper me apertum eſt, locuti ſunt aduerſus me lingua doloſa, & ſermonibus odij circundederunt 7
me, & expugnauerunt me gratis pro

eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam;&poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Conſtitue ſuper eum peccatorem, & Diabolus ſtet à dextris eius. Cùm iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum, fiant dies eius pauci, & epiſcopatum eius accipiat alter. Quid ergo vobis videtur ò Iudæi? totum hoc impletur in vobis, & contra vos, & peccata patrum veſtrorum loquitur Dauid in his quæ dixi vobis, & maximè ac maſſime in his quæ ſequuntur, & ſicut prædixi vobis de Iſaia, quando dicit. Cùm extenderitis manus veſtras auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam, & Dauid dicit. Oratio veſtra fiat in peccato. O quale gaudium haberetis,ſi ſequi velletis veritatem. Vultis ne aliquid contradicere ad hæc, quæ dixi vobis, & dico, an vultis plura audire, quæ contra vos ſunt, & contra filios veſtros,qui in incredulitate, & perfidia permanebunt? audite quæ ſequuntur. Dixerũt Iudęi bonus prędicator eſſes quia benè ſcires ponereverba,&deaurare ea;ſed per Deum dic nobis ſi fuiſti Frater minor, vel Prædicator,vel ſi Clericus es, cum tali robore nobis locutus fueris? Reſpondit Ignetus, nec Clericus ſum,neque fui,nec alicuius Religionis, im mò mercator ſum, ſed habere quæſtionem didici cum Iudæis, & ob gratiam Dei, Meſſiæ Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſæpè locutus fui de Lege

mea

mea cum magno fructu, & dico vobis quòd in tempore meo conflictum habui cum Iudæis permultis, præcipuè in Alexandria Egypti cum illo Angelo Iudæo, quem Iudæi Deſiria vocabant, qui maximus doctor eſt inter Iudæos. Dixerunt Iudæi: cum illo locutus fuiſti? quid quęſo dixit tibi de nobis? Ignetus Reſpondit; Tantum dixit mihi, quòd ſi eſſem incredulus, ſiue hæreticus in fide Chriſti, verba ſua, & veſtrorum, ac aliorum Iudæorum cum quibus locutus fui facerent me credulum, & fidelem; quia quod vnus 8
dicit alter negat, ſicut inter vos hodie vidi, & audiui. Dixerunt Iudæi, Ita faciunt etiam Prædicatores veſtri, quòd ſi aliquis ei dixerit aliquam orationem, reſpondent ei varijs ſermonibus, & vnuſquiſque loquitur ad ſuam opinionem, & illud ſimiliter faciunt omnes Sapientes; quoniam graue eſſet, quod omnes doctores eſſent vnius opinionis. Ignetus reſpondit. Fratres Prędicatores, & Doctores noſtri in caſu negationis ſeu alicuiiis alterius ſimilitudinis ſecundùm ſuam opinionem vnuſquiſque loquitur, & iudicat; de Chriſto autem, de Lege vno ore omnes loquuntur. Dixerunt Iudæi: Nos dicimus quòd Sanctus Auguſtinus gloſſauit Bibliam, & Sanctus Gregorius, Sanctus Hyeronimus, ac Sanctus Ambroſius quos vos Sanctos facitis, ipſi non vno ore locuti ſunt. Reſpondit Iguetus; Si iſti Sancti viri quos vos dicitis aliquid expoſuerint ad cor-

correctionem noſtram dixerunt, ſed omnia, quæ de Chriſto ſunt vno ore loquuntur. Inter nos Chriſtianos, & vos Iudæos non eſt diſſenſio, niſi de Meſſia, quem nos dicimus veniſſe, & vos dicitis venire debere; Nos verò & vos ſicut vnum Deum adoramus Creatorem Cœli, & terræ. Reſpondete mihi, creditiſne quod aliquis bonus Chriſtianus, qui legaliter, & fideliter viuat ſecundùm Legem noſtrã condemnetur? Reſponderunt Iudæi: certè non; Sed dic nobis intentionem tuam de eo, quod tibi diximus an muri Hieruſalem debeant reædificari ſicut Dauid di-
9 xit, & vitulis poni ſuper altare? Reſpondit Ignetus: in lingua veſtra hæbraica Hieruſalem viſio pacis interpretatur eſtne veritas? Dixerunt Iudæi, pro firmo habemus Hieruſalem tantùm ſonare viſio pacis. Ignetus reſpondit, in hoc loco Dauid ponit Hieruſalem pro viſione pacis, quia ædificata fuit pax quando IeſusChriſtus natus fuit; & ſcire debetis quòd muri pro fortitudine fuerunt, & pro ſecuritate, ita, omnis Chriſti fidelis ædificat muros Hieruſalem,& pacem æternam habet cum Chriſto, & Deum videt: Hoc Iſaias teſtatur dicens. Et pacis eius non erit finis, & Eccleſia Sancta meritò Hieruſaleme dicitur quoniam annunciatrix pacis eſt, & muri eius fuerunt, & ſunt Sancti Patres, Doctores, & alij qui ſemper annunciauerunt pacem in popolo, & Sancti Apoſtoli, quibus à Domino noſtro
Ieſu

Ieſu Chriſto dictum fuit, hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos; & alibi: pacem meam do vobis, non quomodo Mundus dat ego do vobis; & ſemper eius doctrina fuit pacis, quia etiam præcepit, & pro perſequentibus orari; & verè viſio pacis eſt Sancta Eccleſia quæ ad Miſſas ſolemnes dat populo pacem. Dixerunt Iudæi; De vitulis qui ponuntur ſuper altare quomodo intelligis? Reſpondit Ignetus. Quid reſonat Vitulus in lingua hæbraica. Dixerunt Iudæi, filium an ædum, ſiue Agnum, ſiue omne animal immaculatum. Dixit Ignetus bene dixiſtis de eo quod dixiſtis immaculatum ſed de ædo, & Agno vel Filio vacæ non bene dixiſtis, quia filius vacæ vocatur Vitulus; ſed in lingua veſtra, & Vitulus Sacrificium immaculatum, & puritatis interpetratur. Dixerunt Iudæi; tu vis nos docere in hębraico, & credis melius nobis hæbraicam linguam ſcire? nobis hoc impoſſibile videtur. Dixit Ignetus, & quales vos reputabitis ſi monſtrauero vobis, & quod vobis dico confiteri vos faciam ſine aliqua cõtradictione? Videamus 10
ò Iudæi; Dauid ipſe dixit. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies; quia ſi homo quotidie ieiunaret, & vniuerſa quæ poſſidet pauperibus erogaret, omnia que opera Sanctitatis faceret, nihil prodeſſet ei, niſi ex corde puro, & nitido hoc faceret, & quidem Prophetam de

hoc

hoc valdè benè dixit: Si mens, & cor non orat, in vanum lingua laborat: & Dauid appoſuit Hyſſopum cum acqua Sancta in Baptiſmo quando dixit Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor; & ideo appoſuit, & miſcuit herbam illam cum aqua Sancta, quoniam vtilis erat mixtio illa, & tu magiſter qui medicus es hoc ſcire debes, quòd Hyſſopus pulmonem purgat, & pulmo cor cuſtodit, ideoque opportet, quòd per hoc tanquam aurum conſeruet, & purum ita cuſtodiat, & nitidum quod aliquid labefacere nequeat; Et ideo omnes, qui ſacrum Baptiſmum accipiunt pura mente, tàm puri, & nitidi remanent, & dealbantur ſuper niuem, & aliter Baptiſmus non prodeſt, niſi accipiatur puro corde, & pura mente ſicut antea dixit Dauid. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique, holocauſtis non delectaberis; videre poteſtis apertè quòd Deus non delectatur holocauſtis veſtris, neque veſtris ſacrificijs, & de hoc Prophetæ quàm plures locuti ſunt, & Dauid alibi dicit; ſacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi; holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, onde non poſtulat Deus holocauſta, ſed corda vera hominum, perfecta, & pura requirit, nam Dauid dicit: Tunc acceptabis ſacrificium Iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos: Omnes enim, qui iuſtè viuunt, & in Iuſtitia

per-

perſeuerant vſque in finem, vitulos ſuper
altare Domini ponunt, quoniam oratio-
nes iuſtorum penetrant Cœlos, & offe-
runt Deo vitulos, ideſt puritatis ſacrifi-
cium, & in vulgari veſtro hæbraico veſt-
hal ſacrificium Dei, & puritatis reſonat.
Deſpondete mihi ſi ita eſt: Dixit vnus ex
Iudæis videlicet Rabi; Non eſt ſic & ne-
gauit; Dixit Ignetus, & tu Magiſter quid
dicis? Reſpondit Magiſter: Certè verùm
eſt, & hoc negare non poſſumus. Dixit
Rabi, ſi verum eſt victi ſumus, & hoc di-
cendo ſurrexerunt. Vocauit autem Igne-
tus ad ſe illum Rabi, & dixit ei præſente
Magiſtro. Ego monſtrare volo tibi an
vitulus puritatis ſacrificium reſonet. Au-
di Oſſeam Prophetam in vltimo Capitulo
dicentem; Conuertere Iſrael ad Domi-
num Deum tuum, quoniam corruiſti in
iniquitate tua. Tollite vobiſcum verba,
& conuertimini ad Dominum, & reddi-
mus vitulos labiorum veſtrorum. Reſ-
ponde mihi Rabi, quomodo redduntur
vituli labij hominis? cùm Propheta aper-
tè dixerit; Tollite verba; verba conuer- 11
ſionis, & orationis puri cordis ſunt Vitu-
li, ideſt ſacrificium puritatis placabile, &
hoc verum eſt, & nemo contradicere
poteſt, nec tu ipſe Rabi. Reſpondit Ra-
bi, & dixit: multum gaudeo de eo, quod
locutus es. Alius quidem Magiſter ma-
ior dixit. In veritate omninò deuicti ſu-
mus: ego quando tibi placuerit tecum lo-
quar libenter, & veniam quòcumque vo-
lueris,

lueris, ſed eamus ad locum vbi tanta gens
accedere non poſſit, & ſimus quator vel
ſex tantùm, & ſtatuerunt in primo ſequen-
ti feſto adeſſe in quodam viridario vnuſ-
quiſque cum libris ſuis. Ignetus dixit:
12 Magiſtro maiori, per Deum dicatis, quid
eſt veritas? Reſpondit Magiſter maior:
veritas eſt quod ille color ſit niger, ideſt
albus, & alius rubeus; & quod hæc domus
ædificata ſit lapidibus, & lignis. Dixit
Ignetus, hoc non eſt veritas, immò huma-
nitas tranſitoria quæ mutari poteſt; veri-
tas mutari, non poteſt. Dixitque Magiſter
quid eſt ergo veritas? Dixit Ignetus, veri-
tas eſt ſolummodo verbum Dei, & hæc eſt
veritas veritatum, & verbo Dei non po-
teſt contradici; Dixit Magiſter, per Deum
viuum verum dixiſti quòd nulla eſt veri-
tas, niſi verbum Dei; Dixit Ignetus. Cur
ergo dixit Dauid, veritas de terra orta eſt,
& Iuſtitia de Cœlo proſpexit? Reſpondit
Iudæus: ſuper Prophetis locutus fuit Da-
uid. Ignetus dixit, de his non locutus fuit
Dauid, quia de vno tantùm in ſingulari
loquitur, quoniam ſi dixiſſet de Prophe-
tis in plurali locutus fuiſſet, dixiſſet: veri-
tates de terra ortæ ſunt, ſed ipſe locutus
fuit in ſingulari tantùm de illo Propheta
de quo & Moyſes locutus fuit ſicut vobis
dixit, Prophetam excitabit vobis Deus de
Fratribus veſtris: omnia anima quæ non
audierit Prophetam illum exterminabitur
de populo ſuo: Certè de iſto Propheta
Dauid, & omnes Prophetæ locuti fuerunt;

& hic

gitized by Google

& hic eſt Meſſias Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt Saluator omnium in ſe ſperantium; tunc dixit Iudæus, miror de prudentia tua, & fateor quòd ſi omnes Clerici, & Fratres Prædicatores ſimul eſſent, non poſſent, neque ſcirent dicere ea, quæ tu ſapienter dixiſti, & tamen allegoricè reſpondiſti ad ea, quæ tibi oppoſita fuerunt, & pro firmo neſcio tibi contradicere, neque poſſum: & ſic abierunt Iudæi: loquentes inter ſe de his quæ audierant, dolentes de eorum iactura, & depreſſione.

Auditis verò verbis iſtis ab alijs Iudæis, & Doctoribus, & quæ dicta fuerunt inter eos; & ſicut Iudæi iſti denegauerunt Danielem eſſe Prophetam, & vt ſuperati, & victi diſceſſerant Iudæi ab Igneto; congregauerunt ſe in Synagogam, & Concilium facientes, ſtatuerunt, & prohibuerunt, ne quiſquis alius Iudæorum cum prædicto Igneto de lege conflictum haberet, neque ad aliquem locum ſcitum, vel ſtatutum iret, & maledixerunt omnes, qui contra hoc ſtatutum facerent, quo finito, nil penitus obſeruarunt, nam adeſſe in ſequenti die cum Igneto ſibi propoſuerunt.

INTERLOCVTIO.

CVr vocationibus Dei non reſpondetis Fratres Iudęi? Nonne pluribus Sancti Spiritus eius vocibus, & prædicationibus,

bus, & Doctorum voluminibus vos ſuſcitauit ipſe Miſericordiarum Pater, qui vos cognoſcere cupit, Filium ſuum Ieſum Chriſtum miſiſſe vt à pecatis Mundum redimeret, & nouæ Paſchæ, nouæ legis Animarum Gregem dogma edocentem ad Celeſtia dirigeret? Hoc denique Diſputationis Theſauro cur redimi non feſtinatis? Vocat vos Chriſtus qui pro vobis orauit in Cruce; Nolit erubeſcere; amplectamini ipſum fidenter, quia brachia eius (quamuis claui à vobis infixa) hilare vos recipient, & ad Patrem in Patriam Hieruſalem in altis reſtituent. Dum ergo maiora pro ſalute veſtra in ſequentibus audituri eſtis, diſponite corda veſtra, & eſtote parati.

CAP. XI.

Sapientioris Iudæis certamen.

Notab. Tempora, & effectus, cauſæ Captiuitatum Iudæorum num. 1. De Antichriſto num. 2. conuerſio Rabi ad Chriſtum num. 3. ſtimulus pertinaciæ Iudæorum num. 4. Profeſſio fidei in Baptiſmo num. 5. Fidei fructus num. 6. Robur fidei numer. 7.

FActum eſt autem non poſt multos dies, quòd quidam Iudæus qui Doctor

ctor erat in Synagogis, qui & ipſe ſapientiſſimus erat hæbraicè, & latinè, cui nomen erat Aſtruch Iſaias, qui venerat illuc cum Sponſa eius Iudæa de genere Dauid non tamen de ſtirpe Salomonis, qui Aſtruch quadam die intrauit in Synagogam, & inuenit ibi duos Iudæos legentes in Libris, ipſos anxiè voluentes, & ipſi ſtupidi, & valdè mæſti erant, ac tenebroſo vultu, & quid haberent, ſeu quid quærerent interrogauit, & dixit eis; quid habetis quòd ita triſtes eſtis & tam ſtupidi? Amiſiſtis quicquam pro quo dolere habeatis? Quid ergo tot Libros volutis? qui reſpondentes dixerunt; Ne cures Domine, tu non gauderes ſi ſcires; & dixit eis per Deum quid habetis? dicite mihi, forſitan conſilium darem vobis. Reſponderunt, tale quid habemus, de quo fortè ſi ſcires non gaudebit cor tuum immo contriſtabitur. Dixit eis. De quo poſſet contriſtari cor meum? non occultetis, penitus hoc ſcire volo. Cui reſponderunt: poſtquam ſcire cupis dicemus tibi. Eſt in Terra iſta quidam Mercator Genuenſis, cui non poſſumus in Legge reſiſtere, nec Magiſter noſter Maior; & dixit ipſe quòd ſi poſſumus ei moſtrare Hieruſalem reædificandam eſſe per Iudęos, ipſe Iudæus erit, & circumciſionem accipiet. Reſpondit eis, & propter hoc ita triſtes eſtis? Ego apertè monſtrabo ei, & omnibus per Iſaiam, Hieremiam, Ezechielem, Zacchariam, &

per

per plures Prophetas, nec non per Dauid; & dixit eis de verbo ad verbum, ſicut, & Iudæi alij dixerunt Igneto; Et ipſi dixerunt ei: His rationibus reſolutionem dedit Ignetus ipſe, & nos ſuperauit, dicens quòd de captiuitate Nabuchdonoſor locuti fuerunt Prophetæ, & non de præſenti in qua nunc ſumus, Nouiſſimè verò dixit eis Aſtruch, feciſtis ei quæſtionem quodnam peccatum fecerit Hieruſalem, proquò ſtetit per annos 450. in captiuitate Pharaonis? & dixerunt ei: quod non. Tunc dixit eis venite mecum, oſtendatis mihi ipſum, coram vobis eum vincam. Reſponderunt ei: Domine prohibitum eſt in Synagoga, ne quis de Lege habeat cum eo colloquium. Et ideo non audemus venire; Tu autem eum quærere potes, & ſecum loqui, quia benè ipſum inuenies, & ſe inueniri permittet, ſed pro noſtro conſilio eum non quæras. Dixit eis. Eſt ne Clericus homo iſte, quem tantum timetis? Reſponderunt non eſt: imnò diximus tibi, & dicimus quòd mercator eſt ſimplex, ſicut cæteri, tamen optimè nouit Legem; & ſi eum cupis videre, ito ad Logiam Genuenſium, & interroga de Igneto Contardo, & ſtatim inuenies eum. Homo Iuuenis eſt, bellè indutus, capillis caſtaneis; & facie formoſus, ac graui ſermone, &c.

Venit ergo ipſe Aſtruch Iſaias ſolus ad Logiam Genuenſium, & interrogans de prædicto Igneto ductus fuit extra Ciuitatem,

tem, quò ipſe Ignetus iierat cum alijs mercatoribus transferendi cauſa poſt Cænam, & inuento dixit ei Iudæus, Domine noſtri Iudæi te multùm commendant, & ſi tibi placeret,& graue non eſſet,vnam tantùm facerem tibi quæſtionem. Reſpondit Ignetus: Si quæſtionem facere vis breuiùs ſit, quia ſerò eſt; verum ſi venire placet in craſtino ad Logiam, vel ego veniam quòcumque volueris, non tantum vnam, quòd Iubebit facere poteris; quibus ſi ſciuero,& reſpondebo. Dixit ei Iudæus; dicas mihi queſo, quod nam peccatum,ſeu quid commiſeratIſrael,quando ſteterunt in captiuitate in Ægypto, & in manibus Pharaonis per anno 450.ſeu qua de cauſa Dominus poſuit eos in illa ſeruite? quoniam quando intrauerunt Ægyptum non fuerunt niſi 70. quando exierunt fuerunt vltra 5100. virorum, exceptis paruulis, & mulieribus? Reſpondit Ignetus, ego tibi dixi, breuem quæſtionem facias, & tu talem feciſti, quæ vno die vix ſolùi poteſt, tamen de fine quæſtionis reſponſionem tibi faciam, videlicet, quòd Deus non poſuit eos in captiuitate, immò de captiuitate eduxit eos; & adhuc vos Iudæi dicitis, & nos Chriſtiani: Deus qui eduxiſti populum tuum de terra Ægypti, & de manibus Pharaonis: quo audito Iudæus obſtupuit. Iterum dixit Iudæus: Oro te Domine non ſit tibi graue, audias quid dicam tibi. Dixerunt alij Mercatores Genuenſes: per Dum audia-

diamus eum, & eamus ad ſedendum, quia bonum eſt eum audire; & Dixit Iudæus: Domine dicas mihi, quodnam
1 peccatum fecit Iſrael, pro quò Dominus dedit eos captiuos in manibus Nabucdonoſor, & ibi ſteterunt annis 70.? Iterum dixit Iudæus quod peccatum fecit Iſrael, propter quod Deus dedit Nos captiuos vobis Chriſtianis, & alijs nationibus? In qua captiuitate iam ſtetimus ex quo Deus venit in Sancta Maria, ſecūdum quòd vos Chriſtiani dicitis. Quot anni ſunt. Reſpōdit Ignetus? 1671. Item dixit Iudæus: dicas mihi, vbi inueniſti, ſeu inueniri poteſt, quòd ſemper captiui ſtare debeamus, & quòd Hieruſalem non debeat reædificari ſicut noſtris Iudæis dixiſti? Item dicas mihi quando completum erit tempus dierum 1290. prout in Daniele legitur? ad hoc ſi tibi placet mihi reſpondeas. Ignetus dixit ei: O' Iudæe: hęc verba ſunt magni ponderis, & magni intellectus, immò qui vult intelligere primò opportet aures capitis aperire, & audire, ac audiendo aperire aures cordis; hoc modo quòd cupis ſcire, poterit ad ſalutem animæ peruenire. Dixit Iudæis: Non veni ad te niſi vt audirem, & intelligerem?

Reſpondit Ignetus: De prima quęſtione, pro quo dedit Hieruſalem in Captiuitate annis 70. non licet mihi hoc vobis dicere, quoniam hoc vos multum bene ſcitis, & quæ Hieremias Propheta dixit, vos futuros in captiuitate annis. 70. in Egypto pro-

propter Vitulum, quem fecerunt Patres veſtri, & ipſum adorauerunt, & hoc apertum eſt: De Captiuitate autem iſta in qua ſtetiſtis hucuſque, & quæ non habebit finem niſi cùm Mundo, ideſt quando veniet Aduentus Filij Dei in finem ſæculi; cùm venerit iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem; & hoc teſtatur Iſaias Propheta in primo Capitulo, propter quod ſpreuiſtis Dominum Deum Ieſum Chriſtum, quem crucifixerunt Patres veſtri; & ideò dicit Propheta, Manus veſtræ plenæ ſanguine ſunt; vos ſcitis quòd illa manus plena eſt ſanguine, quæ homicidium fecit; & ideò Dauid dixit: Nutantes transferantur; & mendicent, & eijciantur de habitationibus ſuis; non ſit illis adiutor, nec ſit qui misereatur pupullis ſuis; & in multis alijs locis inuenietur, ſed minis eſſet longum omnia narrare, & ſatis ſufficiat hoc; de quo verrò interrogando dixiſti, vbi reperitur quod Hieruſalem nō debeat reædificari? In Daniele Propheta inuenies reſponſionē, quàm Angelus Domini annunciauit Danieli, quādo ei dixit 70. hebdomadæ abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbē ſanctam tuam, vt conſumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatū, & deleatur iniquitas, & adducatur Iuſtitia ſēpiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & vngatur Sāctus Sanctorum; Scito ergo, & animaduerte abexitu ſermonis; & iterum ædificetur Hieruſalem vſque ad Chriſtum Ducem hebdomadas ſeptem, &

F heb-

hebdomadas 70. & rurſus ; ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomadas 62. occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, & Ciuitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus, cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio, confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadæ deficient hoſtia, & ſacrificium, & in templo erit abhominatio deſolationis, & vſque ad conſumationem, & finem perſeuerabit deſolatio. Intellexiſtis hæc ò Iudæi. Videtur ne vobis quòd apertè demonſtret Prophetia tempus Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti? nam ſicut ſcitis, hebdomada, ſeptem annorum fuit, & ſi benè quæritur tempus, vos inuenietis in libris veſtris, quòd à die viſionis illius vſque ad tempus Chriſti fuerunt anni 490. de alijs vero 7. hebdomadis, de quibus fit mentio in Prophetia ſcitis, quòd fuit à paſſione Chriſii vſque ad deſolationem, & deſtructionem Hieruſalem, & à die viſionis vſque ad ædificationem Hieruſatem, tempore Ananiæ, & Eſdræ fuerunt anni. 56. & ab ædificatione illa Hieruſalem vſque ad tempus Chriſti fuerunt anni 434. & ſic bene completi ſunt anni 490. De alijs verò 7. hebdomadis, de quibus fit mentio in Prophetia, ſcitis quòd à Paſſione Chriſti, vſque ad deſolationem, & deſtructionem Hieruſalem fuerunt anni 49. & Titus fuit Dux

Dux Romani populi, qui deſtruxit Ciuitatem, & ſanctuarium; & finis vaſtitas, & vſque ad couſumationem, & finem perſeuerabit deſolatio veſtra. Vnde hìc apertè videre poteſtis quòd imperpetuum durabit. Et ſimiliter cognoſcere habetis quòd peccatum finem accepit nato Chriſto; quòd peccatum fuit primi parentis Adæ, qui propter tranſgreſſionem præcepti Dei alienatus fuit ipſe, & qui de eo exierunt è Celeſti gloria, vſque ad Paſſionem Chriſti, & paſſo Chriſto deſcendit ad inferna, ac inde extraxit Adam, & omnes iuſtos.

De tempore autem de quo me interrogaſti de diebus. 1290. Dicam tibi. Vos ſcitis! Iudæi, & ſcire debetis, quòd vbi Daniel loquitur de illis diebus, nimis longum eſſet omnia dicere; ſed ad finem veniamus: vir qui ſtabat ſuper aquas fluminis, cùm leuaſſet dexteram ſuam, & ſiniſtram ſuam in Cœlum, & iuraſſet per viuentem in ſæcula, dixit: finis horum temporum tempus, & tempora, & dimidium temporis; & poſtea ſequitur; & cùm completa fuerit diſperſio manus populi ſancti complebuntur vniuerſa hæc; Et Daniel dixit; ego audiui, & non intellexi; Domine mi quomodo erit poſt hæc? & ait; videt Daniel quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones vſque ad tempus præfinitum eligentur multi, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur, & impiè agent impij, neque intelligent impij, porro do-

cti intelligent, & à tempore, cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abhominatio indeſolationem, dies 1280. beatus qui expectat, & peruenerit vſque ad dies 1435. tu autem Daniel vade ad
2 præfinitum, & requiem; ſtabis in ſorte tua vſque in finem dierum; hoc autem intelligitur de tẽpore illo Antichriſti, quem regnaturum ponit Propheta tempus, & tempora, & dimidium temporis, quòd eſt anni tres cum dimidio; & ſi benè quæritis in diebus 1290. Etiam hoc apertè intelligere debetis in eo quod dixit; cùm appoſita fuerit abhominatio in deſolationem quia benè erit abhominatio, quando contra Deum, & Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum agent; & ideo dicit ipſe, agent impij, neque intelligent omnes impij, porro docti intelligent, quoniam multi illis diebus mortem patientur pro nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti; & illi ſunt docti, qui intelligent ea, & intelligendo in fide noſtra ſtabunt, & ſemper perſeuerabunt vſque in finem, & eorum finis bonus erit; Cùm verò completi fuerint tempus, tempora, & dimidium temporis, hoc eſt dies 1290. morietur ille iniquus diuino iudicio, & hoc teſtatur Daniel cap. 8. dicens, Conſurget Rex impudens facie, & intelliget propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis, & ſupra quem credi poteſt vniuerſa ſtabit, & proſperabitur, & faciet, & interficiet robuſtos, & populum Sanctorum ſecundum

dum voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum magnificabitur, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra Principem Principum conſurget, & ſine manu conteretur: Vnde ò Iudæi ſicut vobis dixi, Populum ſanctorum occidet, ideſt credentes in Deum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt Princeps Principum, & dominus dominantium; & ipſe conteret eum ſuo iudicio, & doctos ſeruos ſuos ſaluos faciet; & quando iudicium Domini ſuper eum veniet tunc omnes cognoſcent errorem ſuum, & adorabunt Dominum Ieſum Chriſtum, & vos Iudæi ſimiliter cognoſcetis aduentum Meſſiæ Ieſu Chriſti, infra verò dies 45. erit diuulgatum per totum ſeculum: ita, & omnes credent in Deum Patrem, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium eius, qui nos ſaluos facere dignetur, propitius ſit nobis ſemper vſque in finem. Amen,

Auditis autem his Iudæus dixit Igneto: Domine mi ſi tibi placet, vellem tantum vnum verbum loqui. Reſpondit Ignetus, dicas quòd vis. Dixit Iudæus, ego palam dicere nolo, ſurge quia tibi ſoli loqui cupio; & ſurgentibus Igneto, & Iudæo receſſerunt ab alijs, & dixit Iudæus Igneto: Domine audiui quæ alijs Iudæis dixiſti, quæ omnia ſunt vera, & indubia; & nunc 3
verè agnoſco Meſſiam veniſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & de his de quibus te interrogaui modo, nunquam

ab aliquo Iudæo , neque Chriſtiano tàm clarè intellexi, aut apertè ; quomodo tu mihi oſtendiſti ; quare rogo te , poſtquam errorem meum mihi cognoſcere feciſti quòd in via veritatis me ducas , & Baptiſmum recipere merear ne anima mea pereat , ſed ſalua ſit cum fidelibus Domini noſtri Ieſu Chriſti , quem Redemptorem Mundi eſſe cognoſco, & Saluatorem omnium in ſe credentium , & ego in eum credo pura mente , & ex toto corde meo . Ignetus autem audiens hoc cogitauit intra ſe ipſum eſſe poſſe fallacem hebræum , & ſine fide aliqua , quia nihil ſciebat quòd cùm alijs Iudæis locutus fuiſſet , ſicut fuerat ; dixit ei : ò Iudæe , tu neſcis quid di-
4 cas , quoniam ſi Baptiſmum accipies, vocaberis Canis filius tàm à Chriſtianis , quàm à Iudæis , & in paupertate eris , & qui tibi hodie dabit obulum , in toto anni ſpatio non dabit alium, & ſic multam neceſſitatem habebis , & forſitan citò cadere poſſes ; & ideo tibi non conſulo , immò moneo te ſtare , ſicut iam ſtetiſti , quia vt apparet quinquagenarius es , & ſponſam , ac diuitias relinquere ; nimis durum tibi erit , & notum tibi facio quòd minus penæ paſſus erit, Iudæus falſus Chriſtianis .

Reſpondit Iudæus bene ſum annorum quinquaginta , & ſic ſteti in errore tamen nolo amplius manere , quia tempus conuertendi habeo ; ſecuritatem diù viuendi non habeo ; & dico tibi , quod ſi anima mea perderetur non habendo Baptiſmum ipſam

ipſam coram Deo à te exquirerem, quia firmiter, & fideliter credo in Dominum meum Ieſum Chriſtum, baptizari volo, & ex parte Dei à te peto vt ad Baptiſmum me ducas.

Ignetus audiens hæc, intra ſe dixit; hoc onus non portabo, aut bonus aut malus ipſe ſit, baptizetur ſi babtizari vult; & dixit Iudæo. Poſtquam vis baptizari, Reſponde mihi: Credis in Dominum Ieſum Chriſtum natum ex Maria Virgine ex Spiritu ſancto conceptum? Reſpondit. Credo, & certus ſum. Credis ipſum in Cruce paſſum fuiſſe, mortuum, & ſepultum, & die tertià reſurrexiſſe, & poſt 40. dies in Cęlum aſcendiſſe, & Spiritum Sanctum diſcipulis ſuis Apoſtolis miſiſſe, & hæc omnia ſponte, & gratis feciſſe, & in ea impleta fuiſſe ſingula; Prophetarum dicta? Reſpondit credo, & certus ſum, quòd totum hoc ſpontè pati voluit, vt humanum Genus redimeret, & omnes fideliter in ſe Credentes ſaluos faceret, & quòd ipſe venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſæculum per ignem ſicut teſtatur Dauid in Pſalmo, qui incipit, Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit à terram ſolis ortu vſque ad occaſum, ex Syon ſpecies decoris ſuis: Deus manifeſte veniet; Deus noſter, & non ſilebit; Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius Tempeſtas valida, & cætera omnia quæ ſequuntur: totum credo, & ita firmus ſum in fide Chriſti, quòd mi-

hi baptiſmum expectanti ipſa celeritas mora eſt; & vocari Chriſtianus ſtatim cupio. Igneus verò dixit; Cùm ergo baptizari velis, & in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum credas; vnam volo facias orationem, quæ licita eſt omnibus ſine alicuius legis contradictione, quæ talis eſt; Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus qui formaſti Cælum, & terram; & omnia viſibilia ac inuiſibilia creaſti, propitius eſto mihi peccatori, & dirige me in viam ſalutis, & veritatis. Amen. Et mando tibi quòd tota hæc nox diſpendatur in lacrymis, & in orationibus, confitendo errorem tuum dicas Septem Pſalmos pænitentiales qui in Dauid leguntur; & ſunt iſti.

1. Primus. Domine ne in furore tuo arguas me, &c.

Secundus. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.

Tertius. Domine ne in furore tuo arguas me.

Quartus. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Quintus. Domine exaudi orationem meam.

Sextus. Deprofundis clamaui ad te Domine.

Septimus. Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam:

Et in Craſtino ieiunabis, neque comedes, nec bibis vſque ad Nonam; cogita intra

Digitized by Google

intra te ſi aliquid fuerit, quod non intelligas, in quo non ſit cor tuum clarum; & cras venias ad me hora tertiarum, nam declarabo tibi. Et ſcias quòd ſi in hac hora morte morereris, anima tua, in manu Dei eſſet; & hoc benè accipiam ſuper animam meam, ſi cor confitetur quod lingua loquitur; & hoc dicendo receſſit Iudæus.

In craſtino autem circa veſperas venit Iudæus, & inuenit Ignetum; cui dixit Ignetus; Benè veneris, ò Iudæe! Reſpondit ipſe ne me dicas Iudæum, immò Chriſtianum corde, & voluntate. Dixit Ignetus: eſt ne aliquid de quo non ſit benè confirmatum cor tuum? Reſpondit ipſe, Quo magis cogito, ac in libris Prophetarum, peruideo, eò firmior ſum in Sancta Fide Chriſti Dei Saluatoris Mundi. Reſpondit Ignetus: Deo gratias. Veni ergo mecum bonè, & fidelis Chriſtiane, & te præparato ad Baptiſmum, vt in craſtino baptizeris, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Et duxit eum ad domum ſuam adhuc ieiunum, ſicut mandauerat ei, & illa die comedit, ac bibit cum Chriſtianis, & in ſequenti baptizatus fuit in Eccleſia Sanctæ Mariæ, ad Laudem Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos ſaluare dignetur. Amen.

Ipſo vero Baptizato vocatum eſt, nomen eius Philippus, & in fide Chriſti ip-
ſum docuit Ignetus. Dicens Philippe eſto 6
bonus Chriſtianus, & fidelis, & in eo confide, qui dat omnem gratiam; & verita-

tem, ac virtutem ſperantibus in ſe, & qui paſſus fuit pro ſalute noſtra, vt nos de poteſtate inimici noſtri Diaboli liberat, & ac redemiret à peccato primi parentis Adæ; Sicut hoc teſtatur Dauid dicens, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, redimiſti me Domine Deus veritatis: & alibi dicit: veruntamen Deus redimet anima meam de manu inferni, cùm acceperit me. Iſaias verò de Paſſione eius, & Redemptione noſtra ait. Spiritus Domini ſuper me, eò quòd ad annunciandum mansuetis miſit me vt mederer contritos cordes, & prædicarem captiuis indulgentiam, & claſis aperitionem, & prædicarem, animum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro, vt conſolarer omnes lugentes; & ponerem conſolationem lugentibus Syon, & darem eis Coronam, emere gaudium pro luctu, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris, & alibi Iſaias dixit, verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum; ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplinas pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus, quid vltra dicam? omnes Prophetæ de eo locuti fuerunt, vt propter diſciplinam Domini accipiatis, quòd inter cætera, quæ magis Deo placent eſt patientia, quia ſine patientia homo perfectus eſſe non poteſt; Et Dominus

nus noſter Ieſus Chriſtus dixit. Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur: vnde in omnibus patientiam habeatis, & Deum ante conſpectum veſtrum in omnibus proponatis, & diſcite benefacere, & quieſcite agere peruersè; ſicut dixit Iſaias, in aduerſitatibus patientes eſtote quando euenerint, & laudate in omnibus Deum: Eccleſiam ſanctam Dei caram habeatis, & de paſſione Chriſti mementote, doctores veſtros, & fidei Catholicæ Magiſtros honorate, confeſſionem ſæpè facite, diſcordiam nolite ſeminare, ſed inter diſcordes ad poſſe veſtrum pacem ponatis, omnes diligite, & ſicut vos ipſos caros fratres habeatis, errantes viam veritatis docete ſicut ſcietis, cum bonis ambulate,& à mala ſocietate caueatis, ius ſuum alteri date, & veritas in ore veſtro inueniatur: Si quis maledixerit vobis, prudenter agite, & vt Dauid dixit. Iraſcimini, & nolite peccare, quia vt Salomon ait;ſermo durus concitat animum, & ſermo mollis mitigat furorem.

His ergo dictis Ignetus duxit Philippum ad locum Fratrum Minorum, & dixit eis. Docete eum in Teſtamento nouo, & in fide Catholica, & vnanimiter pacem in Chriſto habuerunt; Quam præſtare dignetur qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

INTERLOCVTIO.

CVm magis moueant exempla quàm verba: Verboſus eſſe non debeo. Quænam vobis exempla non reliquit (ò Iudæi) Saluator Chriſtus de ſe ipſo, & ſeruis eius fidelibus? ecce Aſtruch Iſaias ex maioribus veſtris in Doctrina, fidei Catholicæ laurea inſignitus! ecce quale exemplum dederit vobis hic Magnus Magiſter: Mementote Patrum veſtrorum, & videbitis non paucos ex illi lumine fidei illuſtratos. Vigilate Fratres Iudæi, & de
7 ſalute veſtra curam ſumatis; In magna quidem cæcitate eſtis. Qui vigilat de ſalute, mirabilia Dei experitur. Vigilauit Ezechiel, & viſiones vidit; Vigilauit Dauid, & nocte caſtra Saulis ingreditur. Ne dormiatis igitur: vigilans enim omnes euitat inſidias, ſicuti dormiens facilè perit. Sic Sarra dormiens clauo à Ioel perimitur. Oloſernes ſomno ſepultus obtruncatur: Medianitæ profligantur; Sanſon in Dalidæ ſinu viribus priuatur. Ita in fidem rectam dormientes omnes perierunt. Talis eſt veſtra conditio: vigilate: ſine fide Chriſti omne corruit ædificium. Ad Deum accedentem credere oportet: niſi credideritis moriemini. Fide purificantur Corda; Fidei ſcutum inimicos conterit; fide accipitur Spiritus Sanctus; Fides omnia poteſt: hinc & Deus ipſe ad Ioſue ait: Ecce præcipio tibi con-

fortare, & eſto robuſtus, noli metuere; quoniam tecum Dominus eſt Deus tuus: Ambulauit Helias in fortitudine, & ad Montem Dei Oreb peruenit. Si ad montem Dei peruenire cupitis fortitudine Fidei induamini, ſic Diabolo reſiſtere poteritis, ſuperbientem Goliam interimere; & tamquam fortiſſimus Sanſon Philiſtæos diſpergere? eſtote itaque vigilantes; & ſi Fidei Chriſti Domini prodigalitatis prodigia (quæ vbique in dies videntur) non creditis, audite quæ in Aſtruch Miracula Chriſtus geſſit; in ſequenti Capitulo.

CAP. XII.

De Miraculis Dei in Conuerſione Iudæi.

Notab. Secunda Trinitatis Perſona nu.1. Paſſio Chriſti num.2.

ASTruch vero Iſaias, nunc Philippus ad Fontem Chriſti vocatus cùm cor ſuum in Sacrificium obtulerit Ieſu Chriſto Domino noſtro, cum fiducia magna, & dilectione; Duo oſtendit Miracula Deus in Conuerſione eius. Primus videlicet, quando ſcitum fuit à Iudæis quòd prædictus locutus fuerat cum Igneto, in illa ſeromet ipſo, conuenerunt ad eum quamplures Iudæi de maioribus, & melioribus, & finxerunt ſe neſcire ipſum locutum

cutum fuiſſe cum Igneto, dicentes ei, Domine litteras recipimus de Cathalonia, & penitus opportet illuc te ſtatim ire ſine aliqua mora, quoniam conſilio tuo multum indigemus. Cui Reſpondit paratus ſuum cùm nouam audiuero relationem de ſecuritate itineris, modo enim ob multitudinem Curſariorum, in his Barchis non eſt ſecurum ire ſed quàm citius ire poterimus ſecuri, iter faciam; hoc autem dicebat volens eis longas inducias dare, ſciebat enim quid eſſet facturus. Dixerunt ei Iudæi alij: Domine eſt hic nauis magna Domini Regis quæ Barcilonam ire debet, & hac nocte recedet, quoniam iam ſunt omnes parati, quia ituri ſunt in eam, quare Domine diſponas te; quia alij noſtri Iudæi vadunt in eam, & ſecuriùs ire non poteris: Reſpondit eis: Summo mane hoc faciam, quia tempus non eſt recedendi; Dixerunt ipſi iam credimus vela daſſe ſeruos, Accipiamns Barcham quæ ſtatim nos ducat ad Nauim. Videns autem quòd ab eis diſcedere non poterat, & timens ne ipſi præſumerent id; quod erat, Dixit eis, poſtquam talis eſt voluntas veſtra eamus; Sed prius videre volo parentes meos, & ſponſam, quia iniquum eſſet hac ratione diſcedere. Dixerunt ei omnes. Nos excuſabimus te, cùm neceſſitas magna ſit de perſona tua, & conſilio in partibus illis, quod ignoras, & ſic non diſceſſerunt ad eo donec in Nauim ipſum poſuerint, ipſumque alijs Iudæi commendauerunt.

Sed

Sed ſicut Deo placuit, qui noluit animam eius perdi illa nocte, non fuit fauorabilis ventus ad iter agendum, & ſic ſtetit nauis in illo loco; In Craſtino autem inter nonam, & Veſperas cupiebat ipſe deſcendere de Naui nec erat barca, in quam ire poſſet; & dormentibus alijs Iudæis rogauit Nautas Nauis vt illum vellent ad terram portare, & dixerunt quod non. Tunc ipſe fecit Orationem ad Dominum, & orando dixit. Domine Deus Omnipotens ſi tibi placet me eſſe Chriſtianum, & Fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti Filij tui tenere dignare nunc mittere Barcam, quæ me ducat ad terram. Et hoc dicens; ſubito apparuit circa Nauim Barca piſcatorum, quia viſa gauiſus fuit valde, & Nautis dixit; per Deum vocate Barcham illam, & tunc vocantibus illis, appropinquauit; dixeruntque illis de Barca, percipite hominem iſtum, & ad terram ducatis queſo: dixerunt hunc hominem (ſic Deo permittente) nam ſi dixiſſent Iudæum, forte non veniſſent; Venerunt ergo, & illum duxerunt ad terram; & cùm appropinquaſſent ad terram, voluit eis ſoluere quodcunque petijſſent, ipſi verò nihil accipere voluerunt dicentes. Abi in nomine Domini maius ſeruitium hoc faceremus. Secundum Miraculum fuit in Baptiſmo, quia parentes ſui vnà cum Igneto volebant vocari nomen eius Ioannem, & ad introitum Eccleſiæ quando Presbiter dixit quomodo vocabitur.

Reſ-

Reſpondit ei : Vocetur nomen meum Philippus & ſic vocatus fuit : nam initium conuerſionis ſuæ cæpit in Feſto Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi. Et hoc fecit quia audiuit vocem de Cœlo. Accede Philippe.

Ipſo verò baptizato valdè territi,& conturbati ſunt Iudæi omnes, videntes ſapientiſſimum hunc Iudæum eorum Doctorem ad fidem Chriſti conuerſum. Et contigit poſtea quòd Ignetus vidit illum Iudæum, qui vocabatur Rabi, & vocauit eum in loco ſolitario ; & dixit ei. O'Rabi. Ecce Aſtruch Iſaias baptizatns eſt, fidem bonam accepit, & Chriſtum Meſſiam Saluatorem Mundi veniſſe cognoſcit; fac ergo, & tu ſimiliter; & ego oſtendam tibi Patrem,& Filium nominatum per Prophetam. Audi Dauid dicentem in Pſalmo, qui incipit; Miſericordias Domini in æternum cantabo : Et dixit Iudæus, & quid ibi inueniſti dicas mihi? Ignetus reſpondit: ecce dixit ipſe; inuocauit me, Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ : & ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ. Et hæc ſimul dicentibus, contigit alium Magiſtrum tranſijſſe, quem Iudæus vocari rogauit; & dixit ei: per Deum veni Domine mi, & intrato ad nos, audies quid dixerit mihi Dominus iſte : & quid dixit? Magnus eſt ipſe, & magnum ſenſum habuit, quando potuit Iudæum ſapientiſſimum, & Doctorem perducere

ad

ad Legem ſuam. Ignetus dixit ei; O Magiſter ſciò te benè cognoſcere ipſum optimam partem elegiſſe, dum errorem dimiſit; & ſi vis cognoſcere Patrem, & Filium expreſsè interroga Rabi quid Dauid dixit; Ipſe inuocauit me Pater meus es tu, & reliqua, &c. Tunc dixit Magiſter; Nobis cum Igneto loqui non expedit, quia reſpondere neſcimus; eamus; receſſerunt Iudæi ſimul hębraicè loquentes.

NOTABILE OBIECTVM.

QVadam alia die Ignetus inuenit Ma-
giſtrum ſolum in via prætereuntem,
& ſalutauerunt ſe. Et dixit ei Ignetus:
Magiſter ſi vna Prophetia in Ieſu Chriſto
Domino meo impleta eſt, eſt ne ipſe verus
Meſſias? Reſpondit Iudæus: ita eſt, &
ait Ignetus. Dauid dixit; foderunt ma-
nus meas, & pedes meos, dinumeraue-
runt omnia oſſa mea: Dic mihi, quando 2
vnquam Dauid paſſus fuit, hæc; quando
vulneratus fuit in manibus, ſeu pedibus,
vel in latere? Nunqnam ipſe certè. Ergo
locutus fuit in perſona Chriſti, ſicut alibi,
vbi dicit: Et dederunt in eſcam meam
fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.
Reſpondit Iudæus. De hoc quòd primò
dixiſti, non dixit Dauid eò quod vulnera-
tus fuiſſet, ſed in capite carminis habemus
nos, Leones foderunt: quoniam quando
fugiebant à facie Philiſtinorum, incidit in
Leones, & territus, tunc ipſe dixit ver-
ſum

Digitized

ſum, &c. Dixit ei Ignetus: Miror de vobis, & de Prudentia veſtra; quomodo hoc dicere poteſtis? quid de ſale, & aceto? Neſcitis (vt verò meliùs dicam) non vultis veritatem fateri. Nonnè ſequitur, Ipſi verò inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem? quomodo ergo Leones ſpoliauerunt Dauid, & diuiſerunt veſtimenta ſua ſortem mittentes? hoc Leones agere non exiſtimo; ergo totum impletum fuit in Ieſu Chriſto, qui crucifixus fuit, & milites diuiſerunt ſibi veſtimenta ſortem mittentes; & hæc loquentibus, cùm nihil de hoc ſciret Iudæus reſpondere, dixit Igneto. In via non eſt bonum loqui, intremus in Apothecam iſtius Aromatharij, & ſermonem habebimus; Intrãtibus ipſis verò dixit Dominus domus; Domine Ignete, ſi poſſes hunc conuerti facere bonum medicum haberes; & inuenerunt locum vbi non poterant à tranſeuntibus audiri; & dixit Iudæus; Domine Daniel Propheta dixit: de 1290. quomodo intelligis hoc? Reſpondit Ignetus: Daniel in illo loco loquitur de illo Meſſia, quem errantes expectant, qui veniet contra Sancta Sanctorum, & ipſum regnaturum ponit tempus, & tempora, & medium temporis, qui ſunt anni tres cum dimidio, & complebuntur anni ipſi in diebus 1290., & reliqua exponendo ſicut expoſuit ipſe, qui baptizatus fuit; & Iudæus ait. Bene credo ita eſſe, & benè apparet

paret quòd ita eſſe debeat; tunc temporis ſcio quid faciam; tunc relicto certamine dixit: Ego non loquar amplius de fide,tibi promitto: & confuſus diſceſſit.

INTERLOCVTIO.

QVid confunderis, ò Iudæe? Noli diſcedere. Cor tuum Diuini Amoris digito tangitur,& recedis? Veritas odium parit? quid proficit in te Sapientia tua? lumen Cœli adeſt, oculos claudis? Fauus mellis in viſceribus tuis labitur, & cor obdureſcit? Maximum impietati argumentum! Satanæ mendacium monet: Chriſti veritas animam tuam non mouet? Solem vides, lucem negas? Ergo perditio tua ex te eſt. Excuſationi locum non habes, quia nimis apertè errorem tuum pateſeci; Sed cùm videam te animi pendentem in fide; vt pœnitentia ducaris abſque timore, audi ſequentia.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIII.

De Imaginibus Sanctorum; & Trinitatis.

Notab. De Imaginibus reſponſio ad Iudæos num. 1. De Trinitate pariter reſponſio num. 2. Similitudo Trinitatis num. 3. Paſſio Chriſti num. 4.

QVæ ſuperius dicte ſunt de Chriſto, & de fide eius maximo veritatis exemplo cogitantes Iudæi, cùm reſiſtere non poſſent Igneti Sapientiæ, non paucas conſcripſerunt Literas ad eorum Doctores, qui labentem fidem hæbraicam reparaturi accederent. Et ecce ab Hiſpaniarum finibus quidam Sapientiſſimus inter Iudæos aduenit: Cui magno plauſu occorentes ipſi Iudæi dixerũt quid acciderat eis; & quomodo ille eorum Magiſter conuerſus ad Fidem Chriſti baptizatus erat per quendam Mercatorem Genuenſem, cui in Lege nemo reſiſtere potuit. Et dixit eis: Veniat ad me, & ſit cum eo ille, qui baptizatus eſt; & videamus quid erit inter me, & ipſos; quo audito gauiſi fuerunt Iudæi putantes Ignetum non poſſe reſiſtere ei. Et venerunt quidam Iudæi ad Ignetum dicentes: Adeſt Iudæus qui reſpondebit tibi, & confuſioni tibi erit. Si vis ducamus ipſum ad domum tuam, videbis

bis poſtea . Reſpondit Ignetus ; gaudeo ſi ſapiens eſt, quia cum inſipientibus nolo conflictum habere, cum quibus loqui eſt ſeminare in muro, & frumentum in litore maris, quia nec orirentur, nec fœnum, aut fructum producerent ; Sed ſi ſapiens eſt benè veniat. Reſpondit Iudæus ad domum tuam veniemus ; ſit quoque ille baptizatus: & ſic Ignetus, & Philippus, cum nonnullis Iudæis conuenerunt, & ille maximus Iudæorum Magiſter cæpit dicere. Miror de vobis Chriſtianis, qui Idola, & Simulacra facitis, & adoratis, quæ nec vident, nec audiunt; & agitis contra Deum ; & de hoc teſtatur Dauid dicens. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Reſpondit Ignetus ; ego non video neque cognoſco aliquem Chriſtianum Idola facere, vel I
ſimulacra, neque ipſa adorare. Dixit Iudæus: quomodo hoc dicere potes? Nonnè Eccleſiæ veſtræ Idolis, & Simulacris plenæ ſunt, ipſis luminaria paratis, & adoratis ? Reſpondit Ignetus : Non adoramus Idola, neque Imagines, ſed adoramus Deum Cæli Patrem, & Vnigenitum filium eius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ſecum eſt; Spiritum quoque Sanctum vnanimiter, & ideo in medio cuius libet Altaris ponimus Imaginem Chriſti, ad denotandum, quòd has Immagines Santorum, quas videtis in Eccleſijs noſtris, non adoramus; ſed Sancta Mater Eccleſia in modum Speculi ipſas

ponit,

ponit, vt eas cùm videant oculi corporales, videantur ab oculis cordis, vt recordentur de Paſſione Chriſti, qui paſſus fuit pro ſalute noſtra, & pro humani generis redemptione; ſicut Prophetæ teſtantur; præcipuè Iſaias, qui dixit; ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtras, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus; & multi alij Prophetæ de hoc locuti ſunt? vnde dico vobis, quod ſi haberem imaginem aliquam ligneam, & non haberem de quo poſſem calefacere aquam fratri meo Chriſtiano, ſeu alicui amico meo Iudæo, ſi infirmaretur, ego ipſam imaginem, & Crucem ponerem ad comburendum; tamen benè debemus habere in reuerentiam imaginem Chriſti, & Beatæ Mariæ Virginis, vel alicuius Sancti; nam ſi regalis imago, ſeu alicuius Domini Terrę in honorem habetur, quod vos videtis in denarijs, & ſimilibus, vt qui pereuteret Regis imaginem grauiter puniretur, eo magis Cæleſti Patriæ Ciues in reuerentiam habendi ſunt, vt memores Sanctitatis eorum exemplum habeamus ad benè agendum, vt Deo grati ſimus, & ſaluemur. Vndè ò Iudæi non credatis Chriſtianos Idola, aut Imagines adorare, niſi tantùm ad honorem, & memoriam Dei hæc ergo inanis eſt excuſatio veſtra. Dixit Iudæus, quomodo igitur facitis tres Deos, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & vnde hoc inuenitur quòd Tres

Dij

Dij ſint. Reſpondit Ignetus. Nos Tres Deos non facimus, nec inuenitur tres Deos eſſe, nec ſunt, immò Sancta Mater Eccleſia prohibet, ne faciamus, aut dicamus Tres eſſe Deos niſi tantùm vnum Deum, qui eſt Trinus in perſonis, & in Deitate vnus: & hoc quidem oſtendam tibi, vndè in primo Libro Geneſis in principio: quando Deus: Creauit Cœlum, & Terram dixit; Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & hoc loco Deus oſtendit, quòd ſunt plures perſonæ cum dixit, Faciamus, quia hic in plurali loquitur, & dixit Iudæus: Angelus locutus fuit, vel fuit Deus, & Angelus ſimul quando hoc dixit: Reſpondit Ignetus, ergo Angeli fuerunt factores hominis? per Deum viuum contra vos dixiſtis; & blaſphemauit Magiſtrum. Nonnè Angeli Creatura Dei ſunt, ſicut Dauid dicit? Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem; & alibi. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt, & quando Deus dixit, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, dixit ad imaginem animæ, quia anima imago Dei Patris eſt, Spiritus Sancti, corpus verò, & ſimilitudinem Filij, quia accepturus erat humanam Carnem; & hoc apertè Dauid dixit; oſtendens Patrem, & Filium in eo, quod dixit; Ipſe inuocauit me, Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ, & ego primogenitum: ponam illum excelſum præ Regibus terræ; & alibi:

bi: ſemel locutus eſt Deus; duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddis vnicuique iuxta opera ſua: videte ergo ſi Propheta apertè, & clarè oſtendat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum quoniam in perſona Patris loquitur: dicens Poteſtas Dei eſt; in perſona Filij, & Spiritus Sancti, cùm dicit, & tibi Domine Miſericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera
3 ſua: ego vobis in terra oſtendam Trinitatem; videte Ficulneam habentem folia, fructum, & lignum, hæ tria ſunt, & vna Arbor, iam non ſunt tres Arbores; inter Cœlum, & terram quoque oſtendam Trinitatem: videte Solem habentem radium, & calorem, & hoc nunc videre poteſtis; reſpicite, & videte, nonne videtis radios Solis, & calorem ſentitis, & ipſe Sol in Cœlo eſt, & in terra eſt claritas, & calor? Hæc non tria ſunt, nec ſunt tres Soles; ſed vnus eſt tantùm Sol, & verè tria ſunt opera eius, quia alia eſt Solis proprietas, alia claritas, & alia Calor; & ſicut Claritas illuminat terram, ſic perſona filij Dei, accepit carnem, & ſi quis percutit terram, ſed tamen claritatem percutere non poteſt, ſic patres veſtri fecerunt, ò Iudæi qui crucifixerunt Ieſum Chriſtum, putantes in mortalem mortificare, quoniam Deitas non paſſa fuit, & ſicut, qui fodit terram Solem fodere non poteſt, & ſemper ſol in ſua virtute conſiſtit, & eleuato baculo de terra,

Digitized by Google

ra, claritas in terra foſſa, & verberata reuertitur; Item Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus mortuo Corpore, & ſepulto, tertia die reſurrexit, & poſt 40. dies in cœlum aſcendit ad Patrem, & viuit, & regnat cum Deo Patre, & Spiritu Sancto in vnitate in ſæcula ſæcula ſæculorum. Item quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio procedat oſtendam vobis, quia non videntes Solem, & claritatem eius, non ſentiunt; calorem, & ſi vltis dicere, Cæci non vident Solem, neque claritatem, & calorem ſentiunt; In hoc ego vobis reſpondeo, quòd ipſi, licet non videant, tamen tangunt, & ideo calorem, ſentiunt; quia ſicut Anima tangitur, & non videtur, ita Spiritus Sanctus tangitur, & non videtur, Quoniam ſine Spiritus Sancti gratia nemo viuere poſſet, & ſicut terra, quæ Solem non videt, & à claritate eius non illuminatur fructum non portat, & ſterilis eſt; ita qui non credit in Patrem, & Filium non ſaluabitur, & gaudia vitæ eius non admittet, quoniam Spiritus Sancti gratia abeſt ab illo; ſicut terra ergo permanet, quæ lignum nec fructum affert, in frigiditate ſua ſine calore, ſic, & vos Iudæi, qui non creditis in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non poteſtis ſaluari. Quia propter conſulo vobis quod de, Trinitate ſentiatis, & ſic fructum facietis, ideſt ad Cœleſtia gaudia peruenietis. Et tunc Philippus hebraicè locutus fuit eis, oſtendens Trinitatem per Prophetam iam

dictum, & dixit ei Ignetus latinè loquere, vt te intelligam, & reſpondere poſſim, & dixit Philippus latinè loquens: Iſaias dixit in viſione quam vidit de Angelis, quòd clamabat alter ad alterum, & dicebant. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius; vndè ſcire ex vobis Iudæis volo, cuinam dicebant Sanctus, Sanctus, tribus vicibus, & Dominus Deus tantùm ſemel; non aliter debet intelligi niſi Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus; & hæ tres perſonæ faciunt vnum Deum, quoniam ſi Deus ſolus eſſet in perſona, Angeli clamaſſent Dominus Deus tribus vicibus tantùm, non Sanctus, Sanctus, Sanctus; & hoc apertum eſt, & negare non poteſtis; & dixit tunc Ignetus Iudæis, Audiſtis Philippum, qui nouus miles eſt Chriſti, defendite vos ab eo; & ſi benè vobis agere cupitis, quòd facit ipſe, ita, & vos faciatis. Dixit Iudæus Magiſter Igneto. Spiritus Domini ſuper me (Iſaias ait) eo quòd miſit me ad annunciandum manſuetis, & mederi contritos corde. Ignetus reſpondit; prout video credo te eſſe Chriſtianum corde, quoniam quæ ego putabam dicere tibi, tu mihi dicis; hoc totum dixit Propheta in perſona Chriſti, quia ſequitur; & predicare captiuis indulgentiam, & clauſis aperitionem. Dixit Iudæus: hoc totum ait Iſaias populo Iudæorum, quoniam erant in captiuitate Babylonis, quia ſicut

ſicut ſcis in diebus illis prophetauit Iſaias.
Verum eſt. Reſpondit Ignetus; ſed ipſe
in fine dixit; & inſtaurabunt Ciuitates
deſertas, & diſſipatas in generatione, &
generationem; quomodo inſtauratæ ſunt
Ciuitates veſtræ? immò ſunt deſtructæ,
& diſſipatæ, & vos exules per vniuerſum
Orbem eſtis;hoc totum vobis contrarium
eſt; de hoc Propheta dixit; & ideo in
Chriſto Ieſu intelligi debet. Dixit Iudæus
Magiſtri noſtri, & ſapientes noſtri Do-
ctores gloſauerunt ſicut dixi, & eis cre-
dendum eſt. Reſpondit Ignetus. Cui
melius credendum eſt Magiſtris veſtris,
an Prophetæ? Dixit Iudæus: Magiſtris?
quia ipſi poſtea fuerunt, & viderunt quæ
tranſacta erant,& ſciebant quid eſſet veri-
tas. Dixit Ignetus: neſcitis quid dicatis,
quoniam Prophetæ credendum eſt, &
non magiſtris; & de hoc ſtabo in ſenten-
tia veſtrorum Iudæorum; & vocauerunt
Magiſtros Iudeorum, & narrauerunt eis
cauſam, & dixerunt omnes Iudæi quòd
Prophetę credendum erat, & non Gloſ-
ſæ. Et dixit Ignetus. Ego oſtendam vo-
bis Paſſionem Chriſti apertè per Dauid in
Pſalmo, qui incipit Deus, Deus meus vt
quid dereliquiſti me: & Iſaias in 43. cap.
quod incipit: Quis credidit auditui noſtro, 4
& brachium Domini cui reuelatum eſt, &
aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſi-
cut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpecies
ei, nec decor, & vidimus eum, & non
erat aſpectus, & deſiderauimus eum, de-

ſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem; & quaſi abſconditus vultis eius, & deſpectus, vndè nec reputauimus eum: Verè languores noſtro ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; Et nos putauimus eum, quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum? ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitate noſtras, attritus eſt propter ſcelelera noſtra, Diſciplina pacis ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus, &c. Generationem eius, quis ennarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium; propter ſcelera populi mei percuſſi eum, & dabit impios pro ſepultura, & diuites pro morte ſua, eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius, &c. & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit. Vndè ò Iudæe diſce hoc, ito ad domùm tuam, & quere libros tuos, vbi inuenies Ieſum Chriſtum Filium Dei: & in hoc cauſam non poteris inuenire, nec contradicere, ſcilicet quod hoc totum non fuerit completum in Domino Ieſu Chriſto? Iudæus autem nihil reſpondit ad hæc ſed dixit: Ego veniam cum Libris meis; diſceſſit, & amplius ad Ignetum noluit venire, neque ipſe Ignetus voluit cum Iudæis diſputare, quod factum fuit, non ſine Iudæorum fructu, Ad Laudem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Finis Libri Primi.

FLA-

Digitized by Google

FLAGELLVM HEBRÆORVM.

Liber Secundus.

In quo Sumariè exponuntur præcipua exempla ad confirmationem verè Fidei, quę perfidiam Hebræorum omnino conuincunt, & delent.

CAP. I.

De Meſſia vtrum venerit an non, & quis ille?

Notab. Falſa opinio Iudaeorum de Meſſia num. 1. *Humilitas Chriſti nu.*2. *Chriſti petra fuit nu.* 3. *Aduentus Meſſiæ num.* 4.

IAm ſatis deuictos ex Igneti diſputatione vos iudico (Fratres Iudæi) Multa nihilominus ex animi mei ſententia Prophetarum, Doctorumque veſtrorum veterum dicta hic addere benè putaui ſummariè ordinata, vt ſaluti animarum veſtrarum

nulla lateat via; nè coram venturo Meſſia in finem ſæculi Ieſu Chriſto excuſationem capiatis, immò captiuitatis veſtræ corporis, & animæ cauſam voſmet eſſe dicatis, qui perfidiæ velamen vanæ ſpei aculeo geſtantes, veritatem negatis, & Dei Miſericordiam, atque omnipotentiam non creditis.

Peculiaris inter Nos cõtentio eſt vtrum venerit Meſſias: vos dicitis non veniſſe, abſolutè, immò venturum eſſe, & ipſum non Deum, ſed hominem tantùm à Deo miſſum, natum ſicut cæteri homines, qui Miniſter Dei factus vobis temporalem, ſpiritualemque ſalutem allaturus ſit; Nos verò fatemur veniſſe, & hunc fuiſſe Ieſum Chriſtum, quem vos crucifixiſtis, Deum, & hominem ſimul, ex Virgine natum, ſicuti vobis probabo, quod talis fuerit, & quòd talem cognouerunt Patres veſtri, ſed antequam accedamus ad veritatem probandam, vanitatem veſtram, fallaciam, & ignorantiam in diuinis Scripturis prius exprobrandam duxi.

Meſſiam vos non negatis, & ſcio hoc eſſe duodecimum articulum fidei veſtræ, ita quòd qui Meſſiam non crediderit, hæreticus inter vos cenſeatur; ſed cum veniſſe fateri non velitis, hæc hæreſum maxima hæreſis, hæc maxima dementia. Spem vanam futuri Meſſiæ in vobis ſemper fuiſſe iam ſatis patet, eò quòd Patres veſtri ſummis votis Meſſiam expectabant eo præſertim ab vſque tempore, quò alienige-

nige-

nigenæ per Tyrannidem regnare cæperatis, & Romanorum Imperio ſeruire, vobis hæc altè inhæſerat perſuaſio Meſſiam temporaliter regnaturum cum Maieſtate, poteſtate, & diuitijs magnis. Hæc ſpe tamen deſtituti Maiores veſtri dixerunt; ſperabamus quia ipſe redempturus eſſet Iſrael, iam Sceptrum de Iuda ablatum eſt regnante Herode; Iam ſurrexerunt multi, qui falſo ſibi nomine Meſſiæ vendicato vobis illuſſerunt, ſed deprehenſi mendacio cum credentibus perierunt.

Tali ergo cupiditate Meſſiæ Patres veſtri flagrabant, quòd Ioannem Zaccahariæ filium, (qui fuit Ieſu Chriſti præcurſor) ſanctificatum in Vtero Matris à Deo ſterilibus parentibus natum (vt vobis patet) ipſum Meſſiam arbitrabantur; Et vt tales qui ſemper in vanitate, & ſuperbia fuiſtis, Legatos ad eum miſiſtis, cupientes, ex ore eius hanc confeſſionem habere; hæc ſpes vos fallit, qui ſemper ſecundùm faciem, & veſtimenta iudicatis, ideſt temporaliter, ſed nunquam ſpiritualiter, cum de Deo agatur; Ioannem potiùs, quam Chriſtum vobis in Magiſtrum deſiderabatis quia ipſum conſiderabatis clari generis ortum, vt Principis Sacerdotis Filium, Ieſum verò qui vobis videbatur obſcuro genere natus, ſpernebatis, dicentes; Nonne hic eſt fabri filius? nonne Mater eius Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioſeph? notantes quoque Patriam vbi natus erat quaſi ignominiam quandam 1

dicentes; A Nazareth non poteſt aliquid boni eſſe; non enim vt Ioannes, zona pellicea cingebatur Ieſus, neque melle, & locuſtis veſcebatur, immò pauper, & cum publicanis ambulabat, eorumque conuiuijs aderat! O inanis gloriæ ſtudium; ò ignorantiæ ſymbolum! nihilominus cognoſcebatis Ioannem non potuiſſe eſſe Meſſiam pluribus rationibus; primùm quia ex patre Sacerdote de tribu Leui ortus fuerat, Chriſtus verò de Tribu Iuda, & ſtirpe David, Ioannes ex annoſa, & ſterili Matre, Chriſtus verò ex Virgine, vt Iſaias prædixit: Item locis natiuitati Meſſiæ deſtinatus erat Bethleem, iuſta Micheæ vaticinium; & tu Bethleem terra Iuda, &c. ex te orietur Dominus, Dux qui regat populum tuum Iſrael; & Ioannes natus in Montanis Galileæ; Demum Ioannes nullum ſignum, præter Baptiſmum fecit, Chriſtus verò tot miracula
2 geſſit; vt Iſaias ait. Ergo decepti potiùs ſuperbia, quia Chriſtum humilem cernebatis illum Meſſiam fateri dedignabamini. Nonne fuerat neceſſe in humilitate naſci Meſſiam, qui pro peccatis venit vt redimeret mundum? Natus inter Paſtores, quia bonus Paſtor aberrantem ouem per deſerta inueniret, quam humeris impoſitam ad ſacrum Ouile reduceret. Incredulitas veſtra vos ignominioſos facit vbique, qui præter captiuitatem æternam, Canes vocamini inter Gentes; & Deus vobis dicit: Quæretis me, & non inuenietis,

nietis, & in peccato veſtro moriemini.

Credite, ergo Meſſiam fuiſſe Chriſtum; nam Iſaias cap. 8. illum vobis oſtendit, 3
cum dixit: Et erit in ſanctificatione, & in petra ſcandali duobus Domibus Iſrael, & in laqueum, ruinam habitantibus Hieruſalem: quòd hæc verba impleta fuerint in Chriſto, negare non poteſtis. Ipſe enim Chriſtus vobis fuit petra ſcandali, cui non crediſtis: hæc fuit illa petra quam odio habuiſtis, & pro maximo ſcandalo prædicabatis. Quòd ſi veniret nunc vobis Meſſias iuxta voluntatem veſtram (qui veniet, & erit Antichriſtus cum poteſtate, aurum, & argentnm offerens ſecundùm auiditatem veſtram, quod vtinam non eſſet) non diceretis illum petram ſcandali, quia vobis daret quod cupitis: ſed Chriſtus qui venit vt animæ bona daret, non terrena (ſicuti vos expectatis) vobis fuit petra ſcandali, & ruina; Ergo Chriſtus fuit Meſſias, petra ſicut Iſaias predixit. Item alibi dixit: Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur Terra, & germinet Saluatorem quibus verbis ſatis explicatur ipſius 4
Chriſti Diuinitas, & Humanitas; (germinet Saluatorem) qui Saluator fuit Chriſtus verus Meſſias: hoc pariter Dauid teſtatur? Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei. Audite Zachariam: exulta ſatis filia Syon, prædica filia Hieruralem: Ecce Rex tuus venit tibi Sanctus, & Saluator. Audite Iſaim. Puer natus eſt nobis filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum

eius, ecce Saluator tuus venit ecce merces eius cum eo. Audite Malachiam: Orietur vobis Sol Iuſtitiæ. Lux orta eſt eis, &c. Item; ecce ad venit Dominator Dominus, & regnum in manu eius poteſtas, & imperium. Hic fuit verus Saluator nec alium Meſſiam expectare vobis expedit. Hic eſt qui de Cęlo deſcendit, & Regnum Dei oſtendit ſuperans in Mundo, quæ contra ſpiritum pugnant. Et ipſe Dauid oſtendit pulchritudinem eius, & poteſtatem dicens: Dominus regnauit decorem indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe; ſpecioſus forma præ filijs hominum; & alibi; progredietur de Syon pulchritudine ſuperans omnes filios. Item: Inclinauit cœlos, & deſcendit, ergo clarè vobis conſtat ex dictis Prophetarum Meſſiam veniſſe. Quid amplius cogitas? vide apertiùs Meſſiam per os Iſaiæ: Dominus in Oreb in flamma ignis in medio Rubi apparens Moyſi paſcenti oues dixit; Vidi afflictionem populi mei Ægypto, & clamorem eius audiui, &c. & deſcendit vt liberarem eum: & hoc ſpiritualiter intelligendo, denotat clamores, ſuſpiria, & deſideria patrum veteris Teſtamenti, qui aduentum Chriſti vehementer deſiderabant: vt ait Zacharias: Tu autem in ſanguine teſtamenti eduxiſti victos de lacu in quo non erat aqua. Qui cum Propheta clamabant: citò anticipent nos miſericordiæ tuæ Domine: & poſtulabant cum ſponſa; oſculetur me oſculo oris eius:

quaſi

quaſi diceret: Non audio Moyſem quia impeditioris linguæ eſt, Iſaiæ labia ſunt immunda, Hieremias quaſi puer loqui neſcit, & omnes Prophetæ ſunt elingues. Audiui ergo dicit Dominus vocem Patrum clamantium, & veni, Ergo Aduentus Meſſiæ negari non poteſt.

CAP. II.

De Natiuitate Meſſiæ qui fuit filius Dei; & Mariæ Virginis.

CVm exaudierit Deus vocem populi ſui clamantis: Mitte Agnum Domine Dominatorem terræ, &c. miſit filium ſuum in Mundo, ſcilicet miſericordiam ſuam in gentibus, quem ex hoc cognoſcere poteſtis Meſſiam, quia poſt eius Aduentum nullum Prophetam habuiſtis, nec alia ſigna vidiſtis, vt in Libro primo vobis fuit intelligendum. Ipſe namque Deus, qui ante Aduentum Meſſiæ Deus vltionum vocabatur, modo videtur placatus, benignus, & miſericors, cum ex Maria Virgine humanitatis noſtræ perſonam induerit. Hanc Virginem Matrem oſtendit Iſaias. Ecce alma (ideſt Virgo) concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Notandum eſt quod nomen fuit impoſitum Chriſto ab Angelo, dum dixit imperatiuè (vocabitur) non

à matre ſicut mos erat vobis Iudæis vt matres nomen filijs imponerent; nam die Natalis eius pax fuit ſuper vniuerſum mundum. Virginem eius Matrem in dignitate, & excellentia ſua demonſtrauit dicens: Diffuſa eſt gratia in labijs tuis proptetea benedixit te Deus in æternum: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, quia concupiuit Rex decorem tuum; Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis, filiæ Regum in honore tuo: Adducentur Regi Virgines poſt eam proximæ eius afferentur tibi, adducentur in lętitia, & exultatione: adducentur in templum Regi Domino. Quod Iſaias conſiderans exclamauit dicens: Surgè illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Et vt declararet Filij Dei Natiuitatem dixit: Super te autem orietur Dominus, & gloria eius te videbitur.

Quòd hic fuerit Meſſias Filius Dei, Rex Regum, quem Reges adorauerunt, Dauid teſtatur, dicens: omnes de Sabba venient aurum, & Thus defferentes, & laudem Domino annunciantes; Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent Reges Arabum, & Sabba dona adducent; & adorabunt eum omnes Reges Terræ. Nec ſolùm Doctores noſtri hæc verba de Chriſto intellexerunt dicta à Propheta, ſed & expoſitores veſtri Regem Meſſiam Deum fecerunt: Legitur enim in Libro Midras Tillim ſuper pſal. 21. Deus in

vir-

virtute lætabitur Rex. Et Ezechiel, cap. vltimo dixit. Rex Meſſias vocabitur Deus. Item Midras Echa interrogatus de nomine Meſſię, dixit: Vocatur Deus Iuſtus noſter. Vt in Sanhedrim. Veniet in Sanctificatione, & in petra Scandali. Et plenè intelligitur Meſſiam fuiſſe Filium Dei, dicente Dauid: Dixit Dominus Domino meo ſed à dextris meis. Nolite ergo negare Meſſiam fuiſſe Chriſtum Filium Dei, qui à dextris Patris viſitauit nos oriens ex alto. Ità dixit ipſe Dauid: Miſit Dominus Verbum ſuum; & ſanabit, nos quia ſicut verbo Mundum fecit Deus, ita verbo Filium ſuum miſit: Et Verbum caro factum eſt. Hoc modo parata nobis fuit via ad ſalutem, Zacharia teſtante: Parate viam Domino: & Simeon Propheta apertè demonſtrat cum inquit: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Ex quo patet nobis ſalutem attuliſſe Deum per Filium ſuum, vndè exclamauit Dauid Tu es Deus qui facis mirabilia Solus, notam feciſti in gentibus viam tuam. Et Zacharias: Viſitauit, & fecit Redemptionem plebis ſuæ; & erexit cornu ſalutis nobis in Domo Dauid pueri ſui. Natus eſt ergo Nobis Saluator Mundi, quem Vos Iudæi negare non poteſtis. Hæc eſt miſericordia, quam promiſit Deus, ſcilicet Filius Dei; Quia ſicut mutauit Deus antiquum rigorem, fecitque nouum amorem in Gentibus, Ita renouauit Legem,

& No-

& Nouum Teſtamentum dedit; quod ſi negatis, impotentem facitis Deum Cœli, cum non ſit impoſſibile apud Deum omne verbum: ergo Meſſias natus eſt, ergo Lex veſtra ceſſauit; quia Dominus cunctorum Moderator, & Arbiter, moderari potuit Mundum, Legem, & mores. Cum enim filium ſuum miſiſſet, aliam docuit legem, peccatum remiſit, & Miſericordia plena eſt terra: iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in Remiſſionem peccatorum eorum.

CAP. III.

De Renouatione Legis, & Morum per Chriſtum Miraculis confirmata.

QVòd ceſſauerit Lex voſtra probare eſt neceſſe per ea, quæ facta ſunt, & per dicta Prophetarum David oſtendit nouum teſtamentum dicens: Dulcis, & rectus Dominus, propter hoc Legem dabit delinquentibus in via: Legem dabit; ergo futuram Legem prædixit, quæ eſt noſtra; quod futurum præuidens ait: Legem pone mihi Domine in via tua: & alibi, & veniat Miſericordia tua ſuper me: Ecce

Lex

Lex noua; Ecce Filius Dei, dum ait: veniat Miſericordia tua; Quam miſericordiam petens Dauid intellexit Filium Dei, dum ſequitur: Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo, fiat miſericordia tua, & conſoletur me. Mores mutauit Deus, ſcilicet Sabbatum, & Cæremonias. Chriſtus enim Meſſias ferè omnia in Sabbato operabatur; Hoc vos ſcitis nam vt notam vobis faceret Diuinitatem ſuam tot miracula fecit in Bethſaida, hoc eſt in probatica piſcina; Cui aderat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum &c. quos ſanabat, immo, vt verus Deus, peccata dimittebat, quibus dicebat: Tolle grabatum tuum, & ambula; ex quo Vos Iudæi murmurabatis dicentes; Non licet tibi tollere grabatum, quia Sabbatum eſt: Idem habemus, quandò liberauit Mulierem adulteram, quam vos per legem Moyſis lapidare habebatis: Ieſus verò dimiſit illam dicens: vade in Pace, noli amplius peccare: Ex hoc cognoſcere poteſtis renouationem Legis.

Item quando liberauit Cæcum à natiuitate, facto luto ex ſputo in terram, dicens: vade, & laua in Natatoria Siloe (quod interpretatur Miſſus) dixerunt Iudæi: Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit; quibus reſpondens qui fuerat cæcus ait: Niſi eſſet hic à Deo non poterat facere quicquam. Ergo ceſſauit Lex veſtra: Nam Meſſias erat, & vera

vera fuerunt, quæ faciebat: ergo Lex noua ab illo proceſſit.

Quòd Meſſias fuerit, pluribus factis conſtat. Primò quando eijciebat Demonia, Demones ipſi exclamantes dicebant. Quia tu es Filius Dei. Ex quo videtur apertè vos eſſe peiores Diabolo, quia quē Infernus fatetur vos negare audetis.

Item Mulier Samaritana, quam Chriſtus virtute ſua de Fonte aquæ viuæ, ideſt Spiritu Sancti gratia repleuit, Nonnè dixit; Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus, & multi Samaritani crediderunt in eum propter Diuinitatem ſermonis eius dicentes: Scimus quia hic eſt Saluator Mundi?

Miraculum Magnum cum ſaturauit quinque mille eſurientes ex quinque tantum panibus, ac duobus piſcibus, cum ſupereſsent (ad maiorem Dei gloriam) duodecim Sportæ fragmentorum; vocātibus Turbis ipſum Saluatorem, Nonnè vobis fateri fecit illum eſſe verum Dei Filium?

Inſuper quando in Ciuitate Naim cum Turba copioſa filium defunctum Viduę ſuſcitauit à mortuis, nonne omnes exclamabant dicentes, Propheta magnus ſurrexit in nobis, & Deus viſitauit plebem ſuam?

Item quando ſuſcitauit Lazarum in Bethaniam, nonne multi ex Iudæis crediderunt in eum?

Quid ergo vobis videtur? Scio quod hæc

hæc odio habuiſtis, & inuidia, & malitia, veſtra morti eum traditi, nam ſuperbè agentes innumerabilia prodiga, & miracula, & ſigna quæ vidiſtis vos non commouerunt, quamuis fateri conabamini dicentes: quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? & cætera contra eum murmurantes, quæ vobis conſtant: Sed mirandum quidem de perfidia veſtra; vos enim qui poſt eius mortem percutiebatis pectora veſtra dicentes. Verè filius Dei erat iſte, conuertere corda veſtra non potuiſtis, quid ergo dicam? Diabolus miſit in cor veſtrum duritiem Pharaonis, & peiores Iuda conſtituit; Nam ex ignorantia oritur deſperatio; vos verò qui cognouiſtis Chriſtum, poſtmodum contemnitis.

CAP. IV.

De ignorantia Hebræorum, de priuatione verę intelligentiæ in Lege Dei, quæ cauſat diſperſionem eorum æternam.

Cœcitas, vanitas, inanis gloria, Spes vana, & pertinacia veſtra orrum habent ex ignorantia in Lege quam ignorantiam (credite mihi) ex maledictione Dei in vobis multiplicabit Sathan. Scripturam

turam itaque nunquam recto tramite perſpicietis, nec mirum, cum fidei lumen non habeatis, Non enim credentes Prophetarum vocibus ſuper intelligentiam veri Meſſiæ Chriſti. Cœci eſtis, oculos habetis, & non videtis, & omnes ſenſus corporis veſtri, & animæ potentiæ, imperfectum curſum habent; Multi ex veſtris Doctoribus, qui fidem Chriſti amplexi ſunt, (qui, & mihi materiam præbuerunt ad formandum Flagellum) veram intelligentiam meruerunt; munere fidei, nam Spiritus Sanctus illuminat corda, & mentes fidelium; nec vllo tempore poterunt infideles potiri ſenſu perfecto in Lege. Hoc ſuppoſito, negari non poteſt effectus ignorantiæ veſtræ, quia ſi à vobis ego requiram quà de cauſa. Lex veſtra nullum fructum affert, & obſeruantia, ac intelligentia veſtra Deum non inueniunt, immò ſterilitas creſcit, captiuitas augetur, nec vllum minimum ſignum à Deo in vos procedit? Reſpondere mihi non audebitis, quia ego ſtatim cum Flagello meo, vos percutiam; Et primò dicam: quòd Rabi Moyſes de Ægypto in principio Libri Morè, dicit: Scriptura Sancta ſæpè miſticè loquitur, & in parabolis, & metaphoricè; non enim ſemper ad litteram intelligenda eſt: exemplum adducens Ezechielis: cum dixit veniente Meſſia inſurget bellum Gog, & Magog, quibus nominibus intelliguntur. Reges Implij, Tiranni, & Eccleſię perſecutores:

Et

Et hoc eſt malum veſtrum intelligere materialiter Scripturam, vndè cæci in tenebris ambulatis: ſicut Moyſes dixit in Deuteronomio cap. 28. Percutiet te Dominus amentia, cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie ſicut palpare ſolet cœcus in tenebris, & Hieremias cap. 9. dixit: docuerunt linguam ſuam loqui mendacium. Et verum eſt in vobis, nam viuentes ſub doctrina fallaci, Magiſtri veſtri vos decipiunt in falſa expoſitione Scripturæ, & miſeri, ac infelices tanquam oues errantes diſpergimini, vt ait idem Hieremias capitul. 5. Grex perditus eſt populus meus, paſtores eorum ſeduxerunt eos, & capit. 6. dixit. Ecce incircunciſæ aures eorum: & audire non poſſunt. Et hoc in vobis venit, quia non intelligitis, cupientes terrena, & ſperantes Meſſiam hominem in diuitijs, & potentia dum verum Meſſiam Deum, & hominem, humilem, & Glorioſum habuiſtis. Item Iſaias cap. 9. dixit: ecce ego addam; vt admirationem faciam, populo huic miraculo grandi, & ſtupendo; peribit enim Sapientia à ſapientibus eorum, & intellectus prudentium abſcondetur, & ideo in Captiuitate iſta eſtis iam ſunt 1671. anni quia neſcitis quid petatis, neſcitis quò eatis, viam Domini ignoratis, ſed hæc ignorantia eſt voluntaria, quia ſpeculum habentes veritatis, & Iuſtitiæ pertinacia veſtra velatis, vt non intueri habeatis quæ vobis terroris, & con-

confuſionis aſſent. Ideo dixit Iſaias cap. 5. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habet ſcientiam, & Oſeas cap. 4. Conticuit pupulus meus eò quòd non habuerit ſcientiam; quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Et hæc dixit Deus videns veſtram malitiam gaudere de ignorantia ſuper mirabilia potentiæ ſuæ, ex hoc dicit Hieremias capit. 19. Quoniam indurauerunt ceruices eorum, & non audierunt ſermones meos.

CAP. V.

De reprobatione Iudęorum, abſque remiſſione.

MAlitia veſtra quæ diligit ignorãtiam, docentibus vobis doctrina falſa interpretatione, conſtituit æternam captiuitatem veſtram? & aures obturat Dei, ne per ſæcula omnia exaudiantur orationes veſtræ; Iſaias cap. 6. poſtulans à Deo quanto tempore duratura eſſet ignorantia veſtra, audiuit; Donec deſolantur Ciuitates abſque habitatore, domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta, hoc eſt vſque ad finem ſæculi. Et ſi cauſam ſcire vultis, non aliundè procedit, niſi quia petitis vanitatem, & mendacium, & præſtolando Meſſiam iram Dei compellitis. Ita Dauid Pſal. 18. corrupti ſunt, & abhomina-

minabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt qui faciat bonum.

Deſperata ſpes veſtra, ò Iudæi, niſi conuerſi fueritis nunquam redituri eſtis in Ciuitatem Hieruſalem; nec libertatis veſtræ initium viſuri, hoc video in Sanhedrin cap. Chelech: Decem tribus non amplius in Iſrael regredientur: ſic in Deuteronomio cap. 29. Proiecit eos in terram alienam. Decem Tribus non habebunt partem in ſæculo futuro, & extirpauit illos Deus de terra ſua cum furore, & ira, & quod dicit in ſæculo futuro, intelligitur in vita ventura, ideſt in gloria Paradiſi; ergo vos preiecti eſtis à Terra, & à Paradiſo. Et nō ſine cauſa; nam Deus ore proprio pollicetur iram ſuam in vobis per os Oſeæ c. 1. Non amplius miſerebor Domui Iſrael, obliuiſcar eorum, & ſermones vos, non audiam. Non ergo blandiamini ſpei veſtræ, vos ipſos adulantes, in expectatione ridicula Meſſiæ, ad reædificandum Hieruſalem, quia tantùm moleſti eritis Deos his inſolentijs, & ſceleribus veſtris, quòd iram eius concitabitis, vt expectationem veſtram puniat mittendo vobis Legionem Demonum qui vos auferant, & per ſpatioſa aeris arua fumum Capitis veſtri purificent. Ego enim in Libris veſtris inuenio nullam ſpem vobis promitti de reædificatione iſta; & hanc hæreditatem vanum eſt cogitare. Audite Librum Sederholam magnæ exiſtimationis apud vos: Hæreditatem primam habebunt,

ideſt

ideſt terram promiſſionis : hæreditatem ſecundam habebunt, tertiam verò non habebunt : & hoc intelligitur de Hieruſalem quæ nunquam in æternum veſtra erit : Et vt maiorem certitudinem habeatis, audite Hieremiam cap.7. Ne confundamini in verbis falſitatis, dicentes vobis. Templum Dei, Templum Dei, Templum Dei ſum ego, Nam primum, & ſecundum reædificabitur, Tertium verò qui vobis promittit, falſum dicit, & mentitur. Sed nec Templum, nec ceremonias vobis promittit aliquis, cum dicat Hieremias cap.3. Non viſitabit Arcam fœderis, nec plus fiet. Vndè nec ceremonias veſtras poſt Chriſti Meſſiæ Aduentum habere debetis.

Confirmat veritatem hanc Amos. Cap. 5. dicens: Querite me, & viuetis, nec quæratis Bethel, nec Ghilgal, quia Ghilgal captiuabitur, & Bethel inutilis erit. Iam ſcitis Bethel, & Ghilgal ſignificare Hieruſalem ex quo habemus quòd Hieruſalem nunquam rædificabitur: hoc experientia temporis perſuadet, cum preteriti ſint hucuſque 1671, anni, nec ſignum datur vobis, nec datum vnquam fuit de termino diſperſionis veſtræ: hau quid ſtatis tota die otioſi? quærite Deum, & inuenietis, petite Chriſti Templum de quo Ezechiel: Eccleſia Sancta petra eiecta; qui credit in Meſſiam Chriſtum templum Domino ædificat: & ſi materialiter intelligere volumus: Videte quomodo magni-

gnificatur Eccleſia Chriſti, in Mundo, & quot Templa ædificata ſint Deo poſt Chriſti Aduentum. Non loquor de ſignis, & miraculis, quia vbique patent: & vos quamuis ſurdi, & cæci, auribus, tamen auditis, & oculis videtis: Deus vobis parcat.

Opera veſtra (fratres Iudæi iam fætent, & niſi Miſericordia Domini, quam Chriſtus ex vtero Virginis viuificauit, & humanitate induit: Iuſtitiam leniret, nomen veſtrum non viueret, ſicuti perire, & deleri prorſus timeo, ſi diutius in duritia, & malitia veſtra perſeuerabitis. Non ego ſed Oſeas c.2. vobis hæc ex parte Dei, dicit: Per malitiam operum eorum à domo mea expellam illos, nec amplius reamabo eos. Idem Amos firmat capit.5. Corruit nec amplius eleuabitur Virgo Iſrael. Nolite itaque mirari cùm non exaudiat vos Deus, quia ſi quotidie plorantes in pane, & aqua ieiunantes orauerit is, nunquam Deus aures aperiet: niſi Chriſtum confeſſi eritis: Sic ait Hieremias capit.15. ſi ſteterint Moyſes, & Samuel ante me deprecantes non eſt voluntas mea in populo iſto.

Donec igitur in pertinacia veſtra permanebitis, percutiet vos Dominus cum furore, quod Dauid ait Pſalmo 2. Reges eos in virga ferrea, & tamquam Vas figuli confringes eos.

Exemplum reprobationis veſtræ clarum permiſit Deus in filijs Gomer vxoris

Ho-

Hoſeæ, quæ cùm prius parturierit filiam ei imponi iuſſit nomen, SINE MISERICORDIA: hæc poſtea peperit Filium, & Deus iuſſit Hoſeæ cap. primo quod vocaretur nomen eius, NON POPVLVS MEVS. Hinc colligimus Myſterium reprobationis veſtræ. Quia cùm ſemper fueritis ſine Miſericordia, eò quòd naturaliter crudeles impij, ſuperbi, pertinaces, & increduli ſitis, ipſam Miſericordiam Dei quæ fuit perſona Chriſti Meſſiæ Redemptoris credere noluiſtis, nec miracula, exempla, ne ſigna multa valuerunt in vobis; ita nec Deus voluit vos in populum ſuum acceptare; Vnde vocat vos, NON POPVLVS MEVS: Nec ergo Deus veſter erit, nec vnquam exaudiet vos, niſi de tenebris reuerſi eritis ad lucem. Venite ad Fontem Miſericordiæ Dei, ideſt ad Baptiſmum Ianuam Cæli, & animæ purgationem.

CAP. VI.

De Baptiſmo, de figuris, & eius effectu.

INſttumentum primum ſalutis voluit Deus eſſe Baptiſmum in Lege ſua; quia cùm per aquam ſignificetur ablutio; hæc eſt via potior, & mitior tum paruulis tum adultis, quàm circumciſio; hoc iuſſit Chriſtus fieri in fidelibus ad ſignificandam

dam amoris ſui lenitatem, & gratiam; Per circumciſionem enim in veteri Lege denotatur ſeueritas, & vltio, quod quodãmodo præbuit Dauid dicens: Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ; Deus Pater, & Deus ſalutis meæ, Filius intelligitur. Et per Baptiſmum pacem Domini, & candidam Legem ſuauem Chriſti ſignificari docemur. Aſperge me Domine hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Huius Baptiſmi promiſſionem, & Veritatem, pluribus in locis Prophetarum colligimus: Primò ab Ezechiele Propheta cùm ait: Cùm ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuerſis terris, & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis ſpiritum nouum; & alibi: & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Nolite ergo mirari ſi poſtea dixerit Chriſtus: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei. Voluit ideò Meſſias qui fuit Chriſtus per Baptiſmum mundari populum ſuum à peccatis quia hoc lauacro superueniente Spiritu Sancto, qui eſt Caritas Dei, peccata delentur, anima fit niue candidior, & conſcientia innocens vt Columba. Ita Iſaias; Lauamini, & mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum

dealbabuntur. Et alio loco dicit: Sitientes venite, ad aquas dicit Dominus, & qui non habetis prætium venite, & bibite cum lætitia; Itaque pro certo habeatis, ò Iudæi, hunc fuiſſe Saluatorem: audite, ſi clarius oſtendi poteſt, Iſaiam. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: Hoc gaudium dicite mihi quæſo quare deſpicitis; ergo triſtitiam veſtram amatis? cur non ceſſat cæcitas: cur non deſinit perfidia veſtra, poſtquam ceſſauit vltio Dei, & Chriſtus Meſſias reportauit triumphum, & miſericordiam? hæc eſt aqua, quæ conuertit animam; Dauid dicat ipſe. Super aquam refectionis educat me, animam meam conuertit: hoc Chriſtus operatus eſt: ergo Lex Chriſti vera; ergo Baptiſmus eſt Ianua Sacramentorum, & Paradiſi.

Ioannes Zachariæ filius huius Baptiſmi miniſter à Deo præordinatus vobis hanc veritatem oſtendit, quem quamuis Prophetam eſſe negatis; vobis pluſquam Prophetam monſtrabo immò Altiſſimi Nuncium, veri Meſſiæ Præcurſorem, qui ob excellentiam Miniſterij ſui vocatus fuit Angelus, teſte Malachia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam meam ante te: Angelus quidem & puritate, & electione: Vaticinium eius ſuper omnes Prophetas; ideo maior cunctis Prophetis: Moyſes enim quæ ad mūdi creationem ſpectant prophetico: Spiritu ſcripſit Ioannes verò præſentem Chriſtum digito oſtendit, cum inquit: Cuius

ven-

ventilabrum in manu eius, & permundabit arenam ſuam, & rurſum: Potens eſt Deus ſuſcitare de lapidibus filios Abrahæ; nam verè Deus omnia poteſt; Potuit per Baptiſmum mundare nos? Potuit Filium generare, ipſumque ex Virgine naſci, pati, mori, reſurgere, & iterum redire ad Patrem glorioſum in Corpore aſſumpto, ac omnia innouanda in terris permiſiſſe: Sic Dauid teſtatur dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: In Ioanne ergo completa fuernt vaticinia,& ceſſarunt Prophetiæ;quia tota Scriptura iam à Prophetis conſtructa, & diſpoſita, adimpleta fuit in Chriſto ſummo Sacerdote, & per ipſum Fidelibus tradita eo ſenſu, quo realiter fuit verificata,& deinde per Apoſtolos eodem modo prædicata cum fructu, incremento, miraculis, & exaltatione ipſius veræ Chriſti Fidei per vniuerſum Orbem: & ſi Ioannes negauit vobis eſſe Prophetam hoc fecit humilitatis exemplo ad ſimilitudinem Chriſti, qui fuit ipſa humilitas: attamen pluſquam Propheta iudicabatur,immò ob excellentiam virtutis, & morum à vobis Meſſias dubitabatur; hic fuit cæteris hominibus prælatus: De quo dixit Deus:Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta: Maior equidem, nam cùm homo fuerit, Angelus meruit vocari ob virtutis meritum: Quòd quamuis omnes Prophetæ miſſi ſunt ante Chriſtum, de ſolo Ioanne dictum eſt: Ecce ego mit-

to: Multæ ſtellæ ante Solis ortum præcedunt aduentum Solis nunciantes, ſed ſola ea Luciferi nomen obtinet, quæ vna cum Sole oritur; ita, & Ioannes Angeli nomine gaudet, quia Meſſiam præſentem oſtẽdit. Hunc ergo Ioannem videntes Patres veſtri baptizantem interrogabant dicentes: Quid tu baptizas, ſi non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Videte amentiam veſtram: Miſiſtis prius ad eum Legatos, vt quis eſſet ſciretis, & nunc palam de opere eius interrogatis? Confundat vos modeſtiſſima eius Reſponſio: Ego baptizo in aqua, veniet autem poſt non multos dies qui baptizabit in Spiritu Sancto; hoc autem dicebat de Spiritu Sancto, quem accepturi erant credentes in Chriſtum Meſſiam. Promiſit ideo vitam, & gratiam ijs, qui baptizari volebant: dicens: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ viuæ: Comparantur enim aquæ donis Spiritus Sancti, quia aqua eſt fœcunditas bonorum operum, ſitim extinguit peccatorum, & à peccatis purgat, & mundos reddit.

Igitur tanti Sacramenti miniſter factus, Iordanis fluuium elegit, ſicut omnium in Iudęa celeberimum, vt in hoc quaſi Fonte Dei baptizaret; Et hoc non ſine Myſterio, nam Iordanis vera eſt Baptiſmi figura; per Iordanem Iſraeliticus populos in terram ſiccis pedibus tranſiuit: Elias per eundem miraculosè abijt, & in igneo Curru in Cœlum translatus eſt: His figuris deſignatur

gnatur Baptiſmus; per ipſum namque patet aditus ad Regnum Cœlorum: In Iordane quoque Naamam Syrus ſepties lotus à lepra mundatus eſt, & ex Idolatra factus Dei Cultor, ex quo ſignificatur quod Gentiles per Baptiſmum ſeptiformis Spiritus gratia à noxia peccatorum mundantur. Iordanis iudicium denotat; Ergo qui baptizantur à Deo iudicati ſunt: Hæc eſt vera piſcina, Cuius aquæ ſanant animę vulnera: Aquæ diluuij, & aquæ Maris rubri fuerunt etiam figuræ Baptiſmi, ſicut dictum eſt: Omnes in Moyſe baptizati ſunt in Nube, & in Mari; vt per Baptiſmum Chriſtus manifeſtaretur ſicut ipſe Ioannes ait: vt manifeſtaretur in Iſrael propterea veni ego in aqua baptizans: Venite ergo ad Fontem Iudæi, lauamini, & Mundi eſtote, ne corde obdurati cum Pharaone in profundum inferni demergamini; Agnoſcite Theſaurum: aquam petite ſi vitare vultis ignem æternum; Ioānis humilitatem nouiſtis, is regnat cum Chriſto in Cœlis: diſcite compeſcere inanis gloriæ ſtudium; ſilete vocationem Meſſiæ, timete Deum, & conſiderate captiuitatem veſtram; & ſalui eritis.

CAP. VII.

De ſpretu Iudæorum in Meſſiam Christum, & de eius Paſſione.

Notab. Chriſtus Agnus Dei num. 1. honor Crucis num. 2. occultus venit Chriſtus, & paſſus quia ipſe voluit num. 3. Quatuor peccata Iudæorum num. 4. voluntariam obieruut ſententiam Hæbrei ad luendam ſanguinis Chriſti pœnam n. 5.

QVi retribunt mala pro bonis detrahebant mihi: Tales fuiſtis (ò Iudæi) in Chriſtum, qui tot bona contulit vobis. Quid vobis facere potuit Ieſus, & non fecit? Ingrati animi verò feritatem nutrientes tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus: tanquam ad Leonem, immò Leones ad Agnum: ingratiſſimi.

Malum quod feciſtis, in quo, & quid vobis inde, ipſe Dauid dicat: Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius: & quid euenit? Qui habitat in Cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos: Hanc irriſionem Domini in vobis videtis, quem quamuis iuſtum confeſſi fuiſtis, tamen crudeli ma-

nu

nu percuſſiſtis: vt ait Hieremias: Dixerunt impij ad inuicem; Venite, & cogitemus contra Iuſtum cogitationes, non enim peribit Lex à Sacerdote neque Conſilium à Sapiente, nec ſermo a Propheta, venite, & percutiamus eum, & non attendamus ad vniuerſos ſermones eius; totum hoc impletum fuit in Chriſto; propter hoc in vobis perierunt Sacerdotium, Conſilium, & ſermo Prophetarum; nam poſt Chriſtum nullum Prophetam habuiſtis; & euidens teſtimonium huius veritatis in vobis eſt; nec vllum ſignum à Deo, neque Prophetis à Paſſionis Chriſti tempore vidiſtis, nec viſuri eritis de libertate, & ſalute veſtra; Ideo infelices non videtis errorem veſtrum, non vos terrent verba Hieremiæ dicentis; Ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur; fiant corruentes in conſpectu tuo. Maledictionem Dei incurriſtis; & ſicut peccatum veſtrum inexcuſabile, ita, & pœna veſtra ineuitabilis erit. Signa quæ in Chriſto vidiſtis, dum dicebatis, ecce mundus totus poſt eum abijt, vobis Diuinitatem Chriſti ſatis indicabant; & huius indicium patefeciſtis, quando obuiantes ei in Hieruſalem cum ramis, Palmis, & floribus dixiſtis. Oſanna Filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini; miſerere nobis fili Dauid; & obſequia multa agebatis dicentes; Redemptio noſtra Iſrael. Noli timere filia Syon; ecce Rex tuus venit tibi ſedens

ſuper pullum Aſinæ ; quem cum ligaſſet ad vitam, clarè oſtendit ipſum vitæ auctorem veniſſe, quòd Micheas, cap.4. confirmat : Et ſedebunt habitatores Hieruſalem ; & vir ſubtus Vitem ſuam &c. Quænam ergo eſt dementia veſtra ; Gloriam Deo datis, Saluatorem Chriſtum prædicatis ipſum quidem quem Prophetæ oſtẽderunt, & ſtatim Inuidia ducti, confeſſio fit confuſio, obſequium fit improperium, decus fit dedecus, honor fit iniuria? Et illum perſequimini vſque ad Mortem? vbi ratio? vbi cor? vbi ſenſus? Canes quid in Sanguine agni? Agnum quem poſtulaſtis : Mitte Agnum Domine Dominatorem Terræ: tali modo ſuſcepiſtis? Nonne hic Agnus ille, de quo Iſaias ait: Tanquam Agnus coram tondente ſe obmutuit: de quo Ioannes: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi? de quo Hieremias: Et ego quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam. Nonne ille fuit Filius Dei Saluator, qui ſpontè ſe tradidit, in manus veſtras, & faciem ſuam non auertebat ab iniurijs veſtris? Sponte paſſus, quia ipſe voluit, nam ſicut eo tempore, quo ad comprehendendum eum acceſſiſtis; omnes velut mortui in terram cecidiſtis, & quamuis Iudæ ſigno certiores facti, tantam Diuinitatem non potuiſtis ſuſtinere, dum ad maiorem ipſius excellentiam, Malcho, cui Petrus amputauit auriculam reſtituit; Ita etiam ſi voluiſſet, paſſionem ſuam vitare potuiſſet: Sed

Iſaias

Digitized by Google

Iſaias vos monet de qualitate Chriſti, dicens: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vallentibus; Faciam meam non abſcondi ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Quid ergo negare poteſtis in Chriſto? quid capere excuſationis? Veniat Iſaias, & ſicut maior in Meſſiæ Chriſti declaratione, maiorem etiam Chriſti vobis offerat confeſſionem: cum dicit: Quis eſt iſte, qui venit de Eſdron veſtibus tinctis de Boſra? Iſte formoſus, in ſtola ſua, gradiens in moltitudine fortitudinis ſuæ? Quare Rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in Torculari? Et reſpondens ipſe Iſaias in perſona Chriſti ait: Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum; dies enim vltionis in corde meo, annus Redemptionis meæ venit: Circumſpexi, & non erat auxiliator, quæſiui, & non fuit, qui adiuuaret. Ecce (ò Iudæi) Meſſias; ecce Redemptor Mundi, quem vos ſpreuiſtis: Sequamur verba Iſaiæ: Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus deſiderauimus eum, deſpectum, nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abconditus vultis eius, & deſpectus; vnde non reputauimus eum. Quid reſpondetis Iudæi? Si in Chriſto hęc non impleta ſunt, mendaces non eſtis; Sed quia in hoc nulla excuſatio vos ſaluat; vt magis, magiſque pungamini, ipſum Iſaiam audite; Verè languores noſtros

ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit,
& nos putauimus eum quaſi leproſum;
Ipſe autem vulneratus eſt propter iniqui-
tates noſtras, attritus eſt propter ſcelera
noſtra: Ergo negare non poteſtis Chri-
ſtum pro ſalute noſtra veniſſe, qui poſuit
pacem inter Deum, & hominem, vt ſe-
quitur Iſaias: Diſciplina pacis noſtræ ſu-
per eum, & liuore eius ſanati ſumus.

O miram Dei bonitatem, qui pro pec-
catis gentium intelligens Miſericordiam
ideſt ſe ipſum amore affectum, miſit illam
in Mundo vt videretur ab omnibus, hoc
eſt Ieſum Chriſtum Filium eius, qui in
paſſibilitate Carnis ſcelera noſtra lueret;
vt diuinæ Patris Iuſtitiæ ſatisfaceret in
ligno Crucis: dicente ipſo: Cum exalta-
tus fuero à terra, omnia traham ad me ip-
ſum: Ipſe Chriſtus (ò Iudæi) illam quam
2 vos ignominiam putaſtis Crucem, hono-
re affecit, & tali dignitate inſigniuit, quod
temporibus omnibus ſumma veneratione
habebitur; & hanc Principes, & equites
honoris gratia in pectore geſtant vt inno-
teſcat tantiſigni excellentia; Hoc ſigno
vſi fuerunt etiam ante Chriſti aduentum
Hæbreorũ Sacerdotes, in ordinatione Sa-
cerdotum; Qui tali ſigno ✕ eleuata ma-
nu vtebantur ſicut referunt Menachoth
cap. 8. Rabboth; & Rabi Salomon. Cru-
cis itaque fructum Mundus ferrè totus
percepit; Et innumerabiles gentiles tali
pietate Dei non abuſi fuerunt, ſicut vos
impij Iudæi abuſi eſtis pro quorum ſalute
Chri-

Digitized by Google

Chriſtus pati voluit: Hoc beneficium no-
luiſtis; Populus electus, & tot immenſis
fauoribus cumulatus; Quem ſicut Aquila
prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſu-
per eos volitans, expandit alas ſuas venit,
aſſumpſit eum, vt hoc munere Dominum
colere, ac venerari diſceret; Impinguatus
eſt dilectus, & recalcitrauit; & quo maio-
ra populus hic à Deo beneficia accepit, eò
deterior factus eſt. Spreuiſtis Miſericor-
diam Dei perambulantem humanitate, 3
coopertam, ſcilicet Filium Dei; nam quid
eſt Filius Dei, niſi Miſericordia Dei? Oc-
cultus venit, vt contemneretur, niſi enim
contemneretur non crucifigeretur; hac
ratione obtulit ſe ipſum Reconciliator
Deo Patri: ita Iſaias: Oblatus eſt quia ipſe
voluit; omnes nos quaſi oues errauimus,
vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, &
poſuit Dominus in eo iniquitatem om-
nium noſtrum: Et quia Chriſtus natura
ſua impeccabilis pati non poterat, pecca-
ta noſtra tulit, & factus eſt omnium Sal-
uator, hoc Iſaias teſtatur: Propter ſcelus
populi mei percuſſi eum, eò quòd iniqui-
tatem non fecerit, neque dolus fuerit in-
uentus in ore eius: Et cum ſceleratis repu-
tatus eſt; & ipſe peccata multorum tulit, &
pro tranſgreſſoribus rogauit.

Quid ampilus dici poteſt? Omnia quæ
dicta ſunt à Prophetis, Chriſtus in ſe
adimpleuit. Ergo Chriſtus verus fuit Meſ-
ſias ergo Meſſiam veſtrum occidiſtis: Qua-
tuor ſunt peccata veſtra maxima: Primum

fuit peccatum ex Ioſeph venditione Pro-
pter quod fuiſtis 400. annis in Ægyptum:
Secundum Idolatria Vituli aurei, quæ
vos captiuos duxit Regi Aſſiriorum: Ter-
tium alia Idolatria, & Prophetarum oc-
ciſio, ex quo 70. annis captiuati fuiſtis in
Babilone: Quartum verò fuit, & eſt ven-
ditio Iuſti Meſſiæ qui fuit Chriſtus; pro-
pter quod hucuſque captiuitas veſtra vos
diſpergit, & in æternum durabit: Nec
excuſationem capiatis dicentes, Iudam
fuiſſe, qui peccauit, nam omnium con-
ſenſu, & conſilio id ipſe fecit. Væ vobis;
qui Dei Amorem occidiſtis; vnde non
mirum, ſi iratus eſt contra vos nam iram
5 Sanguis Filij ſui æternam concitabit. Vo-
luntaria veſtra Sententia Sanguinem eius
ſuper vos labentem vocaſtis & in perpe-
tuam damnationem vos obligauiſtis Pila-
to; exclamantes: Sanguis eius ſuper nos,
& ſuper filios noſtros. Ergo non eſt vo-
bis Deus (credite mihi) niſi vos ad eum
plorabitis, & pænitentes amorem eius in-
uocabitis. Venit è Cęlo tantus amor quē
vbi Montes viderunt ſicut cera fluxerunt,
exarſerunt Amore ſicut Ignis in ſpinis,
nec vlla Creatura poterat ſeparari à Ca-
ritate Chriſti, Solum vos Impij Montibus
aſperiores talem Amorem, tantum Cari-
tatis ardorem ſentire renuiſtis. Ille ille
eſt, quem venturum prædixit Iſaias: Væ
vobis qui conſurgitis mane ad potandum
vſque veſperam, & opus Domini non
reſpicitis! opus Dei negatis, quaſi Deus

omnia

omnia non poſſit, quæ mente concipit edere!

CAP. VIII.

De Reſurrectione, & Aſcenſione ac Trinitate.

VExillum hoc explicat Oſeas Propheta: O mors ero mors tua, morſus tuus ero Inferne. Ecce verificatum in Chriſto; ipſe enim reportauit triumphum, mortem deſtruxit, Infernum conteruit. Dicite nunc (ò Iudæi) verè Filius Dei erat iſte; eſtote denique ex illis de quibus Oſeas dixit: Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipſe cæpit, & ſanabit nos, percutiet, & curabit nos, viuificabis nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius: Ecce explicata Reſurrectio. Et quia hic Filius Dei fuit ſequitur Oſeas: Quia miſericordiam nolui, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei pluſquam holocauſta. Hanc Reſurrectionem prædixit quoque Dauid: Cognoſcetur Dominus iudicia faciens, exurge Domine Deus, & exaltetur manus tua; & alibi: Reſurrexi, & adhuc ſum tecum, poſuiſti ſuper me manum tuam mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: Item hæc dies quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea; Dicant nunc, qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu

manu inimici, & de Regionibus congregauit eos. Item Iob cognouit Redemptorem, & Saluatorem Chriſtum cùm dixit: Scio quod Redemptor meus viuit, & in Carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Ecce Redemptio Mundi, quam clare Dauid oſtendit; Hanc terra cognouit, & mota eſt, vt Dauid dixit. Terra tremuit, & quieuit dum reſurgeret in iudicio Deus. Vos ſolùm Iudæi ſine corde fuiſtis; & tamen iram Dei non timetis.

Poſtquam autem reſurrexit aſcendit ad Cœlos in ſinu Patris cum exaltatione, vt exhiberet opus Redemptionis noſtræ. Hanc Filij Dei Aſcenſionem vobis iam narrauerunt cuſtodes de Sepulcro, qui perterriti ſunt, & velut mortui manſerunt. Hanc prophetico Spiritu vidit Dauid cum dixit: Pſalite Domino qui aſcendit ſuper Cherubin, & volauit; & intonuit de Cęlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam: Miſit de ſummo, & accepit me, Deus Dominus, & illuxit nobis: & alibi: Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos: Chriſtus ergo aſcendit, & introiuit Regnum ſuum: de quo ipſe Dauid ſequitur: Quis eſt iſtæ Rex gloriæ? Dominus fortis & potens in prælio: Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ: Nonne fuit ipſe fortis, & potens in prælio vitæ ſuæ in paſſione feriſſima Iudaicæ impietatis? Nonne Dominus Virtutum, dum fecit Miſericordiam, quam vos noluiſtis? hanc fecit Omnipotens Reginam virtutum;

tum;hanc exaltauit,& docuit ſingulos homines: Eſtote Miſericordes, ſicut & Pater veſter in Cœlis Miſericors eſt; hæc fuit renouatio Legis,hæc ſacrificium Deo gratiſſimum dum dixit: Miſericordiam volui,& non ſacrificium. Conſiderate ergo Iudæi quales apud Deum ſitis, qui virtutem eius, ideſt Miſericordiam contempſiſtis. Actum eſt de ſalute veſtra; & Pater cæleſtis vos ad nihilum rediget: vt Dauid minatur: Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrauit. Et verè ſuper caput veſtrum Ira Dei fulmina tendit: dum ſequitur ipſe Dauid: Arcum tetendit, & parauit illum. Si verò conuerſi fueritis dicentes cum Dauid: Suſcepimus Deus Miſericordiam tuam in medio templi tui; ſcilicet Chriſtum in Eccleſia noſtra, tunc ſalui eritis; & exultantes cantabitis: Cantate Domino Canticum Nouum,(ideſt Legem Nouam) quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo. Ego vobis cum Dauid dicam: Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo. Itaque cum hæc, quæ ego imbecillis Scriptor ſeruus Chriſti expoſui,attentè legeritis; de ſalute veſtra fiduciam habebo.

Audiſtis hucuſque, & apertiſſimè cognouiſtis Chriſtum Dei Filium, qui & qualis fuerit, ex ore Prophetarum, quibus contradicere non licebit. Nunc de tertia Perſona Diuina ideſt de Spiritu Sancto nobis tractandum eſt; & habebitis Trinitatem perfectam Dei veſtri. Trinus, & vnus eſt Dominus ſcilicet Trinus in perſonis,

ſonis, hoc eſt in virtute ſua, Spiritus Sanctus eſt Charitas Dei, quam diffundit in Cordibus Iuſtorum, eſt lumen cordium, quod auget gratiam, & diſponit in nobis Iuſtitiam, & hic Tertia perſona Dei dicitur, ideſt opus tertium virtutis Dei, quod ad ſalutem Chriſtianorum dirigitur. Hic corda veſtra illuminabit, ſi laueritis inter innocentes manus veſtras, & circundabitis altare Dei, fidei munere credentes Deum Trinum, & Vnum. De Sancto Spiritu teſtimonia adducit Dauid dicens: Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ; Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum: Ne proijcias me à facies tua, & Spiritumſanctum tuum ne auferas à me, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas Item Ioel Propheta clariùs oſtēdit dicens: effundam ſpiritum meum ſuper omnem Carnem; & alibi: & dabo prodigia in Cœlo, & in Terra, Sanguinem, & Ignem, & vaporem fumi, &c. Alia Prophetarum dicta adducere poſſem, ſed ſatis ſit viſio Iſaiæ Prophetę ad oſtendendam Imaginē Trinitatis. None dixit Ipſe; vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & plena erat domus à Maieſtate ſua; & ea, quę ſub ipſo erant replebant templū, Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alę alteri; duabus velabant faciem eius, duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabāt alter ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus? quid aliud ſignificat

cat hæc triplicata vox, niſi Tres Perſonas Diuinitatis viſibiles in Trono Dei; quæ ſunt vnus Deus tantùm: & in nobis ipſis exemplum gerſimus, qui ad Imaginem Dei creati, vnam tantùm animã habemus, & tres potentias, Memoriam, Intellectum, & Voluntatẽ; Ita in vna natura diuina; Tres ſunt perſonæ Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus Sanctus; Pater enim ab æterno intelligens ſe ipſum, in eius eſſentia tanquam in ſpeculo vidit imaginẽ ſuam, quæ eſt Filius ab ipſo genitus per intellectũ, & quia inter ſimillima maximus eſt amor, & mutua naturalis dilectio, ſummopere ſe diligentibus ex huiuſmodi vtriuſque amore Spiritus Sanctus. Coæternus, & coæqualis ipſis procedit; & hic in formam Columbæ nobis Fidelibus ſignificat puritatem, & ſpecioſum ipſius Charitatis Diuinę candorem, ad inſinuandam animabus fidem, & Myſterium Miſericordię Dei circa Redẽptionem noſtram, vnde in Trinitate effectum eundem habemus, quem in Sole videmus, ſicut in Libro primo explicauimus. Ergo Trinus eſt Deus tuus (Iſrael) hic eſt qui in Creatione Mundi Tribus verbis Trinitatem expreſſit; dicens El, Elohin, Ieoua, & hoc ſenſu dixit Deus Moyſi in Deuter. c. 6. Audi Iſrael; Deus Deus noſter Deus vnus eſt. Item in Exod. cap. 3. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob miſit me ad vos, dicens: hoc nomen eſt mihi in æternum; Idem Dauid affirmat Pſ. 66. Benedicat nos Deus, Deus noſter benedicat

nos

nos Deus, & quia Dei inſpiratione omnia dixerunt Prophetę non ſine Myſterio fuerunt illæ triplicatæ voces. Nolite ergo dubitare de Trinitate, ſi non dubitatis de potentia Dei. Dauid hoc eſſe opus ſalutis noſtræ teſtatur. Tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus, notam feciſti in gentibus viam tuam. Dextera Domini fecit virtutem; Dextera Domini exaltauit me. Multę, & aliæ ſunt auctoritates, & ſymbola Trinitatis, quas breuitatis gratia intermittere volo, cum ſatis ſint ſupradicta.

Imaginem huius Trinitatis hoc Epigramma clarius deſignat.

IMperat in Cœlis Trino ſub Nomine Numen,
Hoc in perſonis creditur eſſe tribus.
Prima Pater, verbo noſtrum, qui condidit Orbem.
Qui proprio titulo dicitur Omnipotens.
Hunc ſequitur verbum genitum virtute paterna,
Quod tanquam Sapiens omnia recta facit.
Tertia, quæ Bonitas eſt procedit vtroque
Hæc appellatur Spiritus Ignis, Amor.
Inde Deus verus veneratur Trinus, & vnus.
Soli trina datur gloria, trinus honor.

CAP.

CAP. IX.

De vocatione hebręorum.

VEni igitur Populle meus dicit Dominus. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi, quid tardas? Venite ſitientes ad aquas. Tua culpa cecidiſti, reſurge quæſo, deuius nunc in tenebris euagaris, ad veram reuertere lucem. Cur non triſtaris in Captiuitate tua? Cur non confunderis in opprobrijs tuis? Cur aurem non accommodas ad ea, quæ tibi exprobrat Deus dicens: Populus iſte duræ ceruicis eſt, generatio praua, & peruerſæ. Væ genti peccatrici (ait Iſaias) populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis; dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt Iſrael, abalienati ſunt retrorſum; & verè dereliquiſtis: Nam ex tempore, quo res Patrum veſtrorum erant abiectæ, Sacerdotium diuiſum, diſſipata Reſpublica, miſit Deus vobis Ioannem ad prædicandam viam Salutis, & vt vexatio daret intellectum cępit vos tangere manus Dei, & renuiſtis, miſit Amorem ſuum, & obduraſtis, ſurgite, & cum Daniele Miſericordiam Dei inuocate dicentes: Auertatur ira tua, & furor tuus à Ciuitate Hieruſalem propter peccata noſtra, iniquitatem Patrum noſtrorum, ne populus tuus

in

in opprobrium ſit omnibus; Dicite cum Ioele Propheta: Immutemur habitu in cinere, & cilicio, ploremus ante Dominum; quia multum miſericors eſt, emendemus in melius quæ ignoranter peccauimus ne ſubitò preoccupati die mortis, queramus ſpatium penitentie, & inuenire non poſſimus: Item Attende Domine, & miſerere, quia peccauimus tibi; Sic facientibus reſpondebit vobis Deus, ait Ioel: Ecce ego mittam vobis frumentum, Vinum, & oleum, & replebimini eis, & non dabo vos vltra opprobrium in Gentibus dicit Dominus.

Induamini arma lucis; & ſcitote Meſſiam veſtrum eſſe Chriſtum, nec alium Meſſiam vobis venturum; Iam ex dictis cognouiſtis. Credite, & videbitis Filium hominis, & orietur ſuper vos ſol Iuſtitiæ: Chriſtus eſt qui venit, & qui venturus eſt ad iudicandum in finem ſæculi; cui data eſt à Deo poteſtas in Celo, & in terra; Vt Dauid teſtatur: Deus Iudicium tuum Regi da, & Iuſtitiam tuam Filio Regis: ac ſi dixiſſet: huius Iudicium ſubire non recuſo qui frater noſter eſt, & caro noſtra. Credite, quia Lex noua Chriſti vera Lex eſt; in qua impleta ſunt Prophetarum Vaticinia; in qua omnes fulgent Prophetæ, Quid vobis prodeſt Prophetas habuiſſe, & ipſis non credere; vos Iudæi (dicit Iob) fuiſtis rebelles lumini; ideo lumine caretis, in tenebris ambulatis. Iam ſcitis quid Sauli acciderit, quia non credidit

Sa-

Digitized by Google

Samueil. Rex Iſrael, & Iuda quia Micheæ fidem non habuerunt, magna clade afflicti ſunt: e contra verò credidit Nathaan Prophetæ Dauid, & a morte liberatus eſt: & vos Meſſiam veniſſe non creditis? Venturus eſt equidem Chriſtus in die nouiſſimo, & tunc apparebit Crux eius vt ſignum Filij hominis in Cælo ad confuſionem veſtram, Iudæi; & ad iuſtificationem ſui ipſius Ignominioſum Mortis ſuæ genus oſtendet, vt ſpe veſtra fruſtratos eum cognoſcentes redarguat; Maximum erit Iuſtis ſolatium; & quemadmodum Nobes illa, quæ media inter caſtra filiorum Iſrael, & Ægyptiorum inſedebat tenebroſa erat Ægyptijs, lucida ac ſplendens Iſraelitis; Ita Crucis ſanctæ vexillum in bonos fulgebit, in malos tenebroſa erit caligo. Clamat hactenus ſanguis Chriſti meliùs quàm ſanguis Abel, hic enim Iuſtitiam, & vindictam, ille verò Miſericordiam, & pacem poſtulat; quam Miſericordiam (tranſacto hoc tempore, ideſt in nouiſſimo die) vltio delebit. Teſtimonia paſſionis ſuæ Chriſtus, hoc eſt lanceæ, & clauorum vulnera, oſtendet, vt impleatur quod dictum eſt; Videbunt in quem transfixerunt. Et Cruce apparente, plangent omnes Tribus Terræ: plangent Iudæi viuentem cernendo, & triumphantem, quem quaſi hominem mortuum exiſtimabant, & coniuncti corpori vulnerato ſcelus ſuum negare non poterunt. Tunc miſeri hæbrei clama-

ma-

mabitis: Væ nobis, væ Nobis; Videbitis Chriſti Fidelium ordines ad dexteram Dei; & præ anguſtia ſpiritus gementes intra vos dicetis, ij ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij; Nos inſenſati Legem eorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; Ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Liber ſcriptus, qui tunc proferetur erit vobis in damnationem, de quibus dicit Dauid; Deleantur de Libro viuentium, & cum illlis non ſcribantur. Scrutabor (dicit Dominus) Hieruſalem in lucernis; hic ergo erit quem quæritis Meſſiam. Diſponite animabus veſtris, & conuertimini.

Si verò ſpes illa recuperandæ libertatis vos inſanè demerſos in Auaritię, aliorumque malorum Barathro ſtimulat, vt poſtea Meſſiam inueniatis qui vos præmio afficiat, Scitote quòd ridiculi eſtis; & pertinacia veſtra ſuper Pharaonem aſcendit, immò temeritas veſtra maior quàm illa Nembroth, dum extollentes Turrim nequitiæ veſtræ ad Summum Cœli, varijs linguis iræ Dei depreſſam videbitis: Nolite ingratitudinem protrahere contra Deum, qui conqueritur per Iſaiam, dicens: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus Præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit: Et hoc mirum de vobis: Nam omnes Beſtiæ benefactorem agnoſcunt, vt

vt videmus Leonem, Lupum, Elephantem, & alios colludentes cum paſcentibus illos; & vos, Iudæi, omni feritate maiores Chriſtum qui tot beneficijs vos cumulauit contumelijs; & morti tradidiſtis? Et quod peius eſt, poſtquam cognouiſtis, in pertinacia veſtra perſeueratis?

Quid miraris ergo (Populе infelix) ſi præcibus tuis Deus aures obturat, ſi captiuitatis tuæ terminum negat? Væ tibi dira ruit ſuper te ſententia: Tu autem ſecundum duritiam tuam, & impenitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ, & Dominus in perditione tua ridebit: ſicut Dauid minatur: vocaui, & renuiſti, extendi manum meam, & noluiſti; ego autem in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo: Dicas ergo, cum Dauid: Deus meus illumina tenebras meas: Tenebras tuas in ſequenti Libro Tertio videbis; Lege: & viam ſalutis ingredere.

Finis Libri Secundi.

FLA-

FLAGELLVM HEBRÆORVM.

Liber Tertius.

Quo inſurgit Rabi quidam Iudæus Sapientiſſimus, qui lorica virtutis indutus, & lumine Spiritus Sancti incenſus ſuam deteſtatur vanam Doctrinam, & à Sinagogæ Doctoribus petit reſolutionem infraſcriptorum Capitum, hæſitans de Fide, immò eiuſdem fallaciam exprobrando, Chriſti nouus Miles, quæ de Chriſto probantur tuetur, & docet.

Proemium.

CVM omnia ad rectum finem tendere debeant, vt Sapiens docet: Quicquid agis prudenter agas, & reſpice finem; quicquid enim agimus, agimus propter finem; Finis mei rationem perpendere ſemper ſtudui: extrema enim hominis ſunt fragilitas, breuitas, mortis certitudo, infernus, & cœleſtis gloria; & omnia quæ ſub Sole ſunt vanitas vanitatum: Ideo cum

Sa-

Digitized by Google

Sapiente recogitans quòd tranſibit vita noſtra tamquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluitur, quæ fugata eſt à radijs Solis, & à calore illius aggrauata: Et cum Iob: breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt; Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſerijs; cæteraſque huius vitæ calamitates; hoc vnum reſtat, vt poſt longos vitæ breuis labores, anima Creatori ſuo reſtituta quieſcere mereatur, quod eſt vnicus finis à Deo nobis præpoſitus, Hiſtaque nixus animus meus laborat, vt certæ fidei lumine confirmatus, ſecuram animæ beatitudinis vitam promitat; quam cùm non poſſit recipere, niſi qui legitimè certauerit, & Mandata Domini ſui ſeruauerit; non poſſum non expaueſcere de Lege noſtra, tùm maximè videns quanta operatur Deus in Chriſti fideles, & miraculorum prodigio, & Amoris ſui abundantia; quanta verò in nos ruat ſeueritate, & furore.

Ad vos ergo Doctores mei ſapientiſſimi confugio, plenus dubio, & timore, vt veſtra ingenti Doctrina ſequentes animi mei ſententias conſideretis, nam quò magis in Lege Prophetarum dicta recogito, eo magis contra nos facere inuenio, & confundor, cùm omnia videam in Chriſto manifeſte adimpleta: Rationes itaque meas quæ ſequuntur audite.

CAP. I.

De Cauſa Captiuitatis huius Iudæorum.

DEſiderio (Hebraicæ Legis Sapientiſſimi Doctores Domini mei dilectiſſimi) certificari per vos de Teſtimonijs Legis, Prophetarum, & aliarum Scripturarum; Quare nos Iudæi ſimus generaliter percuſſi à Deo in captiuitate iſta, in qua ſumus quæ poteſt vocari perpetua ira non habens finem. Nam modò ſunt 1671. anni, quòd per Titum fuimus captiuati; & ſcimus quòd Patres noſtri adorauerunt Idola, occiderunt Prophetas, & Legem Dei abiecerunt, & per has tranſgreſſiones Deus non percuſſit eos in Captiuitate niſi per annos 70. & reduxit eos in terram ſanctam; & ſecundùm Scripturas Ira Dei tunc temporis fuit validiſſima ſuper omnes iras quas, ante illa tempora commemorat Scriptura; Et tamen, vt dictum eſt, pæna tantorum peccatorum non fuit niſi 70. annis. Et nunc (Domini mei) ira Dei quæ ad preſens nos punit, nec habet terminum, nec finis eius nobis promittitur in Prophetis? Si dicere voluerimus quòd iſta preſſura, in qua ſumus, ira Dei eſt adhuc illa, propter quam fuit captiuitas 70. annorum, eò quòd ante non fuerit plenè ſatisfactum de prædictis pecccatis per illos Patres

Digitized by Google

Patres noſtros, nos facimus Deum mendacem, quod abſit; Quoniam ipſe verus Deus, & glorioſus illi captiuitati impoſuit, ore prophetarum, præfatum terminum 70. annorum. Vnde talis non eſt reſponſio, ſed euaſio: Vna excuſatio coram intelligentibus comprehendi poſſet, ſcilicet ſi dixerimus quòd Deus in illa transmigratione miſertus eſt vni parti generis noſtri, & non alteri, & illos, quorum eſt miſertus, transduxit ad ædificandum templum, vt ait Hieremias Propheta, & nos ſumus de illis, quorum non eſt miſertus; Dicent nobis Chriſtiani, cur Deus miſertus eſt illis, qui adorauerunt Idola, & occiderunt Prophetas; & punit nos, qui non peccauimus in prædictis? ergo illorum pœna fuit in dicto termino 70. annorum, & noſtra punitio non habet in nos terminum, nec cauſam certam; & tam longa, ac tali termino, quòd 1671. anni pertranſierint, nec in Lege, nec in Prophetis huius pœne terminum inuenire poſſimus? Tamen (Domini mei) cùm Deus puniret Patres noſtros ob Idolatriam, & interfectionem Prophetarum, pœna, & peccatum conſtant in Scripturis, cùm Deus non puniat bis idipſum; pro peccatis illis præteritis fuit pœna, ſcilicet captiuitatis 70. annorum; & cùm Deus non puniat vniuerſaliter, niſi propter peccatum vniuerſale, opportet quòd poſt illam captiuitatem, denuò nos inciderimus, quia peccauimus omnes in maiori pecca-

to, quàm fuit Idolatria Patrum noſtrorum, & quàm fuit interfectio Prophetarum; ex quò Deus pro illis peccatis prædictis non puniuit Patres noſtros, niſi annis 70. nec amplius; Nos verò punit iam ſunt 1671. anni, & poſuit; & diſperſit nos per quattuor Partes Mundi. Nulla ergo excuſatio ſupra dicta.

CAP. II.

De Circumcisione, & Ceremonijs.

SVppoſito ergo (Domini Mei) quòd nos ſimus in peccato aliquo maximo, rogo vos nunc vt certificetis me, ſi poſtquã Deus diſperſit nos de Hieruſalem in captiuitatem iſtam longiſſimam, miſit Deus eſſe perpetuam propter illud peccatum, & ſi auctoritate noſtra, ſeu propria voluntate, aut Speciali mandato Dei nos in captiuitate iſta accepimus obſeruare circumciſionem, & Sabbatum, & alias obſeruantias, quas ſecundum Legem Moyſis tenemus? Nam nos cognouimus, quod à tempore; quo Titus deſtruxit Ciuitatem Sanctam, & templum combuſſit, etiam nos in iſta captiuitate diſperſit, quia ex tunc ceſſauit inter eos ſacrificium, oblationes, & holocauſta; & Deus non permiſit nobis poſtea Prophetam aliquem, neque per reuelationem aliquam certam,
quòd

quòd deberemus redire aliquando in Hieruſalem, nec mandauit nobis poſteris quòd obſeruaremus obſeruantias, ſiue ceremonias ſupradictas; videtur ergo, ſequi, quòd non à Deo, ſed ab alijs, qui erant in ira Dei ceremonias ſupradictas accepimus, & obſeruantias tenemus. Et dicunt Nobis Aduerſarij noſtri: Sicut vos obſeruatis circumciſionem, & Sabbathum, & Legem in Sinagogis, Libroſque Moyſis, & Prophetarum ſine mandato Dei, quare non aſſumpſiſtis ſimiliter, & ſacrificia, & non facitis vobis Sacerdotem, & Regem, & Principes, vnctioneſque Sanctas, & Incenſum? & quare non ædificatis vobis altaria, & ceremonias, & omnia alia quæ ſunt in Lege contenta; ſicut Sabbathum, ſicut Circumciſionem, & ſicut plura alia, quæ ſeruatis, ſecundùm traditiones veſtras ſine mandato Dei propria auctoritate, & voluntate, ex vtràque parte curritis in offenſam Dei? Vel ſi dicatis quòd voluntas Dei eſt, & beneplacitum quòd obſeruetis alia ſupradicta quorum multa faceretis etiamſi Reges, & populi ſub quibus eſtis permitterent, ſed non permittunt, & tamen permittunt vobis Circumſionem, & Libros in Sinagogis, & alia quæ tenetis; ergo &c. Ad hoc (Domini mei) non eſt nobis in promptu reſponſio ſufficiens, vt videtur, quid ergo erit nobis?

CAP. III.

De nullitate Legis Hæbraicè, æterna deſolatione.

INuenimus (Domini mei) Deum loquentem per os Zacchariæ Prophetæ dicentem. Cap. 8. vbi loquitur de illa prima captiuitate breui interpretando hanc auctoritatem, & ſecundùm quòd ſcribitur in Arabico ſic ſonat in Latino. Hæc dicit Dominus Sacerdotibus, & populo terræ; quando ieiunaſtis, & ploraſtis in 5. & 7. toto tempore 70. annorum; intellexiſtis, quòd niſi ieiunaueritis, aut ad me planxeritis; Numquid ego tale ieiunium volui à vobis? Noſtra autem translatio aliter habetur, & alio modo intelligitur; ſed ego ſcribere propono ſicut iacet auctoritas in Arabico, quam iſte Propheta inducit modò ſicut eſt in noſtra Biblia. Innuit Deus his verbis, quòd, dum nos Iudæi fuimus in prædicta captiuitate per 70. annos, fuimus ſine lege, quia ieiunium habuimus à Lege, ſicut alias obſeruantias, & ſimiliter fuimus ſine Circumciſione, & ſine Sabbatho; ergo ſine dubio hæc non valet, dum ira Dei eſt ſuper Nos. Illa verò prima ira Dei fuit 70. annorum, hæc in qua ſumus nunc eſt nimis longa,

& non

& non inuenitur terminus eius in Prophetis; timeo (cariſſimi) quòd ſicut Deus miſit in captiuitatem illam Patres noſtros ſine Lege, & ſine obſeruantijs eius, nec acceptauit ieiunia nec obſeruantias Legis eorum, quouſque fuit completum tempus pœnæ eorum; ſcilicet annorum 70. ſic in iſta captiuitate vltima non acceptat opera, quæ facimus, nec obſeruantias Legis, quia conſtat quòd nos ſumus in maiori peccato quàm Patres noſtri, quando venerunt in Babilonia; Ergo nos ſumus in maiori ira Dei, quàm illi, & per conſequens opera noſtra ſunt minus ei placita. Et iure meritò ſumus magis odioſi; Et patet quòd illi propter mortem Prophetarum, & quia Idola coluerunt fuerunt tantùm 70. annis in captiuitate, & nos propter magnum, & maximum peccatum captiui ſumus iam ſunt 1671. anni & hæc captiuitas (cariſſimi) eſt illa, quam Deus per os Danielis prophetæ vocat Deſolationem, cùm dicit cap. 9. vſque ad conſumationem, finem perſeuerabit deſolatio.

Prima captiuitas vocatur transmigratio, quia poſt modicum tempus fuerunt reducti cum onore ad ædificandum Hieruſalem; Sed hæc in qua ſumus, vocatur Deſolatio perpetua, in qua certè Deus non miſeſerebitur noſtri, ſicut miſerebatur Patrum noſtrorum dum erant in Babilonia, & conſolabatur eos per Prophetas, qui promittebant eis liberationem,

ſeu liberatorem, & erant omnes ſimul; Nobis autem infælicibus nihil promittit, immò diſperdit nos inſuper per vniuerſa Regna Mundi, indicibli contumelia affectos, &c.

CAP. IV.

De vana ſpe Libertatis, & Salutis.

SPectaculum facti ſumus Cœlo, & Hominibus, & valde mirantur Chriſtiani de nobis, qui quotidie ſperamus liberationem de captiuitate iſta, & ſempre loquimur de hoc in reductionibus noſtris, ſperantes Ciuitatem Hieruſalem. Vel ſumus cęci, vel deceptores ſimplicium. Conſtat quòd poſt diſperſionem noſtram; quæ facta eſt per Titum non apparuit nobis Propheta qui nobis promitteret reditionem; nec etiam poſt captiuitatem 70. annorum fuit Propheta, qui loqueretur de iſta vltima captiuitate, quæ non habet finem, niſi in finem Mundi, nec liberatio promittitur, nec habebitur niſi in fine ſeculi; quia Daniel vocat illam Deſolationem cap. 9. vnde timeo (Domini mei) quòd tanta captiuitas non poſſit remanere ſuper totam gentem noſtram à Deo, niſi propter maximum peccatum in Deum, magis quàm adoraſſe Idola, & interfeciſſe Prophetas, propter quæ peccata fuerunt Patres noſtri puni-

puniti; quia ſicut Dominus non miſeretur noſtri in vita, cùm in eodem peccato perſeueremus, neque miſerebitur mortuis; ergo quid nobis erit?

CAP. V.

De ſecuritate captiuitatis æternæ, cui nemo Prophetarum prædixit terminum.

VIdetur mihi (cariſſimi) quòd decipiamus alios, & nos ipſos, quia in Libris Legis, & Prophetarum inuenimus Deum promitentem genti noſtræ, de congregatione, & diſperſione multipliciter; Sed benè audientes omnes promiſſiones huiuſmodi, vel fuerunt completæ ante captiuitatem 70. annorum, vel fuerunt propter peccata eorum, quibus promiſſæ ſunt taliter impeditæ: De quo propono coram vobis exempla iſta pauca. Dicitur in Ezehiele cap. 11. *Si feceritis iuſtitias meas, & mandata mea ſeruaueritis, congregabo vos de quatuor partibus Mundi, & eleuabo vos, & adducam vos in domum Sanctam meam*. Ecce quod nobis promittit Dominus per Ezechielm in prædictis verbis, & alijs in locis libri eiuſdem Prophetæ, iam completum eſt pluries ante illam captiuitatem 70. annorum, &

omnes promiſſiones, Dominicales maiores, & minores, quæ in diuerſis locis Librorum ſuorum continentur completæ ſunt antequam caderemus in iſtam vltimam captiuitatem, quæ non habet finem: Nulla tamen Dei promiſſio (vbi agitur de liberatione) intelligitur de iſta perpetua captiuitate noſtra, ſed de illis tribulationibus, & percuſſionibus quæ fuerunt ante prædictos annos 70. Poſtea congratio de iſta diſperſione nobis promiſſa eſt, & oportet quòd poſt illos 70 annos commiſerimus illud tàm magnum peccatum, propter quod Deus ſine termino nos punit in quo peccato ſumus, & iam permanemus. Omnes alij Patres noſtri ante 70. annos prędictæ captiuitatis puniti fuerunt; & de multis exempla hæc pauca inducam: peccauerunt patres noſtri, quando exierunt de Ægypto, & promiſſio eis facta habuit locum, ſed in peccatis ſuis in deſerto mortui ſunt; peccauit, & ipſe Moyſes ad aquas contradictionis, & in terram promiſſionis non intrauit; Peccauit Aaron; peccauit etiam Ely Sacerdos, & fractis ceruicibus expirauit, & Poſteritas eius Sacerdotio priuata eſt, & tamen Dominus promiſerat Sacerdotium in æternum, ſed huiuſmodi promiſſa intelliguntur, niſi per peccatum demereantur accipere, vt patet de Regno Dauid, & in poſteris eius, ſicut etiam Dominus Deus verus, & glorioſus promiſit Abrahæ, & ſemini eius Terram illam in æternum poſſidendam, ſed frequen-

quenter perdiderunt eam propter peccata ſua, & frequenter reſtituit eam Dominus illis vſque ad vltimam illam vicem, qua perdidimus eam. Sunt 1671. anni, & non eſt ſpes recuperandi amplius, quia manemus omnes in eodem peccato, propter quod terram noſtram perdidimus; & multùm mirabile eſt mihi; cùm omnes concordemus, & dicamus quòd opportet, Nos poſt captiuitatem 70. annorum in Babilonia peccaſſe contra Deum peccato maximo; & nullus eſt, qui dicat quòd peccatum ſit illud maximum, nec qui quærat: Et ſi aliquis noſtrum eſt qui aliqualiter cognoſcat cauſam, primum, ac præcipuum effectum peccati, propter quod incurrimus in tot mala, nullus tamen aperit proximo ſuo, nec ipſemet, qui cognoſcit, ſcientiam conuertit in vtilitatem; ſed omnes tacemus; & tanquam ſub Diaboli poteſtate depreſſi, ſurgere non poſſumus, pertinaciæ noſtræ grauitate proſtrati; & manifeſtè videmus quod in predicta captiuitate 7. annorum erat Deus cum Patribus noſtris in Propheta Hieremia, & in alijs Prophetis; & dedit eis ducere Salathiel, & Principes, Sacerdotes cum quibus exierunt de Babilonia pacta pecunia, & placuerunt Deo; & ædificauerunt Hieruſalem, & templum, & alias Ciuitates, & effudit ſuper illos Dominus Deus Miſericordias ſuas copioſè. Igitur (Domini mei) inquiram, & non ceſſabo quærere quodnam peccatum ſit illud, propter

quod ſumus in captiuitate iam ſunt 1671. anni nec habemus Prophetam, nec Regem, nec Sacerdotem, nec Altaria, nec Vnctionem, nec Incenſum, nec Purificationes, immò facti ſumus abhominabiles toti mundo; & quod ſuper hæc ſentio pandam vobis.

CAP. VI.

De Quarto peccato Filiorum Iſrael.

NVnc (Domini mei) paueo quòd illud peccatum propter quòd ſumus in hac deſolatione ſit id peccatum, propter quòd, & ſuper quòd locutus eſt Deus per os Prophetæ Amos Capitulo ſecundo cum dicit: Super Iſrael tribus ſceleribus conuertam, vel transferam; quòd vbi eſt (conuertam) habetur hoc transferam; & magis ad rem facit; Et ſuper quartum non transferam, eò quòd vendiderunt Iuſtum pro argento? Et nos (cariſſimi) ſecundùm Doctrinam noſtram dicimus, quòd iſte Iuſtus fuit Ioſeph filius Iacob, qui fuit venditus, & ſic ego non aliter teneo, niſi quòd ſermo diuinus poſuit iſtud peccatum venditionis quantum ad numerum peccatorum, ſiue ſcelerum Iſrael; Ipſi etiam Chriſtiani quibus pro ſtudio Librorum Sanctorum videtur eſſe traditum à Deo; reſpondent Doctrinæ noſtræ, & dicunt: quòd primum

mum in quatuor ſceleribus Iſrael eſt venditio Ioſeph à fratribus eius : Secundum peccatum, ſeu ſcelus aſſignant eſſe adorationem Vituli in Oreb ; Tertium ſcelus, occiſionem Prophetarum propter quod fuimus captiui 70. annis in Babilonia ; & dicunt quartum ſcelus fuiſſe venditionem iuſti Ieſus, qui ad litteram, fuit venditus poſt tranſmigrationem prædictam 70. annorum. Et ſi Nos, volumus tenere præfatam Doctrinam noſtram, & reſpondere Chriſtianis, oppoitet, quòd aſſignemus in Iſrael, ante venditionem Ioſeph, tria ſcelera præcisè, ita vt demoſtrare poſſimus ipſam venditionem Ioſeph fuiſſe quartum ſcelus in Iſrael: Sed Propheta Amos ponit expreſsè quartum ſcelus venditionis Iuſti Ieſu Chriſti, propter quod ſumus in captiuitate de qua loquitur Deus cùm minatur, quòd: non reducet nos vltra in terram promiſſionis cùm dixit : Et ſuper quartum non transferam, quia vendiderunt Sanguinem iuſtum pro argento ; Ergo manifeſtè apparet quòd nos, ſub iſto quarto peccato venditionis Iuſti, ſumus puniti iam tot annis, in quibus nihil proficimus inter gentes, nec ſpes eſt proficiendi amplius ; quid ergo?

CAP-

CAP. VII.

De Manifeſta Iudæorum damnatione.

QVòd iſte Iuſtus, quem colunt Chriſtiani, ſit ille Iuſtus, à nobis venditus pro argento, ego pro certo habeo, immò loquendo expaueſco ſecundùm Amos Prophetam: Et timeo quòd ſint de ipſo hæc, quæ occurrũt de teſtimonia Prophetarum, & illi in eadem Doctrina ſua valde apertè applicant Chiſtiani. Iſaias Propheta dicit Capitulo primo Væ genti peccatrici, prauis Filijs ſceleratis, quoniam ipſi elongauerunt Sanctum eius, & inclinati ſunt retrorſum. Item idem Propheta cap. 53. Quaſi ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum. Item: Vir habens dolorem, ſciens infirmitatem: Item; Fuit deſpectus, & propter hæc non reputauimus eum: Item: oblatus eſt, quia ipſe voluit: Item: de anguſtia, & iudicio depoſitus eſt: Generationem eius quis enarrabit? Item: propter culpam populi mei fixi eum, & dabit iniuriatorem pro ſepoltura, & diuites pro morte ſua. Et timeo (cariſſimi) quòd iniuratores fuerunt Patres noſtri, & diuites Pilatus, & Herodes, Anna, & Cayphas; & ſicut dixit Propheta Dauid: Conſurrexerunt omnes Reges terræ, Principes conuene-

runt

runt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, & timeo quòd Ieſus ſit ille commutatus, & venditus pro argento, de quo loquitur Zacharias Propheta cap. 53. Deponens omnes iniquitates, & orabit pro infidelibus: Timeo igitur, quod Ieſus ſit ille Iuſtus de quo dicit Dauid in Pſalmo 74. & 93. Delectati ſunt in animam Iuſti, & Sanguinem Innocentis deſtruxerunt, & propter hoc deſtruet illos Deus, & diſperget illos Dominus Deus noſter: Timeo etiam quòd ſit ille iuſtus, de quo loquitur Hieremias Propheta cap. 9. cùm dicit: homo eſt; & quis intelligit eum? Idem Hieremias cap. 4. dicit, Species vultus noſtri Chriſti Deus, captus eſt pro pretio noſtri; tamen diximus, in vmbra tua viuemus inter gentes. Timeo etiam, & credo, quòd iſte ſit ille iuſtus, de quo dicit Deus per os Zachariæ Prophetæ cap. 13. dicentis: Enim illa diè quæ ſunt plagæ in Palmis eius, & reſpondebit, his plagatus fui in medio domus meæ inter illos, qui dilexerunt me, & eleuabit caſeum Paſtor meus contra me. Item cap. 12. Aſpexerunt ad me Deum ſuum die illa, & illum, quem trasfixerunt, plangent ſuper eum quaſi planctum vnigeniti. Timeo quòd ſit Iuſtus ille, de quo dixit Abacuch cap. 3. Cornua in manibus eius; Ibi abſcondita eſt fortitudo eius; & cum Propheta concordat Euangelium Chriſtianorum; vbi narratur mors Ieſu Chriſti, & oſtenditur: Cùm autem ve-

niſſent

niſſent ad Ieſum, inuenerunt eum iam mortuum, & extendens vnus ex illis lanceam ſuam transfixit eum; Paueo tandem, quòd iſte ſit ille de quo dicit Abacuch Propheta cap.3. Egreſſus es Domine in ſalutem populi tui Chriſto tuo. Ergo Manifeſta noſtra perditio.

CAP. VIII.

De ira Dei æterna propter Chriſti occiſionem.

EXpaueſco ſuper his: Quis fuit ille iuſtus interfectus ſine peccato, de quo loquitur Iſaias; & quòd verè ſit ille Iuſtus venditus pro argento, propter quod dicit Dominus Deus per Amos Prophetā. quòd in teſtimonium quarti ſceleris non transferet nos in terram promiſſionis amplius: videtur etiam (Domini mei (ſententiam Danielis Prophetæ quæ ſcribitur 9. cap. completa eſſe vbi dicit: poſtquam conſummatæ fuerunt 72. hebdomadæ occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, & tunc veniet populus cum Principe venturo, & deſtruet Ciuitatem, & domum, & comminuet, & condemnabit eam, & auferetur Sacrificium, & erit conſummata deſtructio perpetuæ deſolationis: Et quidem dubium non eſt, quod deſtructio deſolationis perpetuæ eſt captiuitas iſta, in qua nos ſumus

mus iam ſunt 1671. anni. Et benè apparet quod dicit Dominus Deus per Prophetam Danielem: & erit deſolatio perpetua poſt occiſionem Chriſti; & ſi volumus dicere quòd ante mortem Chriſti fuimus in deſolatione iſta; Reſpondent nobis Chriſtiani, quòd ante iſtius mortem non fuit deſolatio perpetua, niſi 70. annorum; & poſt hoc fuimus reducti ad terram promiſſionis, & fuimus ante Deum in gratia, & honore. Certè (cariſſimi) non video euaſionem contra Prophetam Danielem, quia de facto probatur, quòd poſt reædificationem templi fuerunt completæ 72. hebdomadæ, quæ ſunt anni 434. tunc Ieſus fuit occiſus à Patribus noſtris; & poſtea venit Dux, ſcilicet Titus, & Populus Romanus, & fecerunt nobis ſecundùm Prophetiam iſtam; hæc ſunt iam 1671. anni, & ſi dicimus quòd Chriſtus nondum venit, ſed cito venturus eſt, & habebimus gratiam Dei, & honorem in terram noſtram, & iſta deſolatio non erit perpetua; Reſpondent nobis Chriſtiani, quod adhuc remanet nobis occiſio Chriſti, & euentus Titi, & populi Romani, & deſolatio maxima in qua ſumus: heu mihi! non eſt nobis excuſatio, nec euaſio conſona. Cæci ſumus.

CAP-

CAP. IX.

De Primo Aduentu Chriſti.

VIdeo (Domini mei) quòd Chriſtus iam compleuit primum aduentum ſuum, quia in Scripturis noſtris duplicem inuenimus illis aduentum: Primùs Aduentus Chriſti deſcribitur in Prophetis in paupertate, & humilitate: Secundus in gloria, & Maieſtate: & de vtroque Aduentu proponam illa, quæ mihi occurrunt: De primo Aduentu dixit Deus per os Zacchariæ Prophetæ cap. 9. Lætare filia Syon, ecce præceptor tuus venit pauper ſedens ſuper Aſinum; & in iſto Aduentu deſcribit eum Iſaias deſpectum; Daniel occiſum; Zacharias, & Amos venditum; & tamen fuerunt completa iam omnia, quæ in iſto libello ſcripſi, & ſcribam: & Iſaias dicit: Non reputauimus eum, & ſed deſpeximus eum, & præliauimus contra eum: Itaque gloria eius, & Maieſtas eius erit manifeſta in ſecundo aduentu eius, quando ignis, & flamma præcedent eum; & exardeſcent, & flammabunt in circuito eius inimicos eius, ſic dixit Dominus per os Zacchariæ, & Prophetarum Dauid, & Iſaiæ. Et conſiderate, quod Chriſtus nos ad æternam mortem iudicabit, quia nos interfecimus ipſum, & omnes Prophetas,

phetas, qui annunciauerunt nobis de illo, prout teſtificatur contra nos per os Eliæ in quarto Libro Regum: & ſic interfecimus Iuſtum iſtum per quem ſumus in ira Dei ſine fine.

CAP. X.

De ſecundo Aduentu Chriſti.

DEus apertè deſcribit nobis duos Chriſti Aduentus per os Iſaiæ Prophetæ cap. 51. cùm dicit: Conſurge conſurge, brachium Domini: bis dicit conſurge, propter eius duplicem aduentum, & ſigillatum, & clarè deſcribit Iſaias primum Aduentum eius quantùm ad Paſſionem, & deiectionem cap. 50. & 53. per totum. Et ſpecialiter cùm dicit: Vidimus eum, & non erat aſpectus, nec ſpecies, nec decor. Primus etiam aduentus eſt cùm dicit Iſaias cap. 9. & vocabitur fortiſſimus, gratia potens ſuper tronum Dauid, & confirmet illum ab initio vſque in æternum: Zaccharias autem deſcribit ipſum pauperem ſedentem ſuper Aſinum, cap. 9. & quid aliud eſt hoc, niſi quòd Propheta Zaccharias deſcribit primum eius aduentum in humilitate, & pauperrate? Et Iſaias ſecundum eius Aduentum cum potentia, & Maieſtate, ſicut deſcribit etiam ipſum Daniel cap. 7. vbi dicit: conſiderabam, & ecce in

in nubibus Cœli in ſimilitudine Filij hominis veniebat, & vt appropinquabit ad antiquum dierum, omnes gentes, & linguæ honorabunt eum, poteſtas eius æterna non deficiens, & regnum eius in æternum manebit; & manifeſtum eſt (Domini mei) quòd in ſecundo Aduentu ſedebit Chriſtus ante antiquum dierum, qui eſt Deus, ad iudicandum? ſicut dedit in primo ante Patres noſtros iudices, vt iudicarent ante iſtos duos Aduentus Meſſiæ, ideſt Chriſti. Innuit per Prophetam Dauid, & Pſalmum cùm dicit: Quando venerit iudicare terram. De ſecundo Aduentu loquitur Zaccharias cap. 4. cum dicit: impriment veſtigia pedes eius ſuper Montem Oliueti; & nos Domini mei) non dicimus quòd Deus in natura ſua, & eſſentia habeat pedes, & carnem, nec iſta quæ corporis ſunt: ſed pedes habere conuenit naturæ, ſeu creaturę corporeæ; Dicit enim Dauid Propheta, qui ſupra, loquens de ſecundo Aduentu: In conſpectu eius exardeſcet in circuitu inimicos eius; Sed nos non dicimus quòd Deus ſit circumſcriptus quòd aliquis poſſit eſſe in circuitu eius in quantùm Deus: Nos enim dicimus quòd iſtæ auctoritates, & ſimiles habeant veritatem ad litteram de iſto Iuſto, quem Prophetæ deſcribunt, nunc loquentes de eius humilitate, nunc de eius Maieſtate, & de iſto ſecundo Aduenti loquitur Zaccharias cap. 3. dicens: Ecce Dominus veniet, & quis poterit ſtare ante Aduentum eius,

eius ? Ipſe enim eſt quaſi ignis conflans, & ſedebit vt liquefaciat aurum, & argentum: Ecce quò Iuſtus ille, qui fuit iudicatus, veniet iud care nos in ſecundo Aduentu: Et attendite, qualiter deſcribit eum Prophe:a in eodem capite, qui dicit: Tunc ego veniam, & intrabo in iudicio ad eos, & ero teſtis verax ſuper adulteris, & malis, & periuris, ſuper illis qui fraudauerunt mercedem Mercenarij, & humiliant pupillos, & viduas, & opprimunt peregrinos, & idem deſcribit Ezechiel Propheta cum dicit cap. 34. Vbi loquitur de Paſtoribus, & ouibus dicit: Ego ſeparabo ab eis (ſcilicet à Iuſtis) tranſgreſſores, & incredulos; hoc non habet translatio noſtra; ſed in hæbraico ſic ſcribitur: ecce quòd in ſecundo Aduentu ſeparabit malos de medio Iuſtorum, ſicut dicit Malachias clarè, & Ezechiel. Et in primo Aduentu nemo cognouit eum, quia non exiuerat limites humanæ naturæ, ſicut dicit Deus per os Iſaiæ cap. 53. Et cum iniquis deputatus eſt, propter hoc non reputauimus eum; & Hieremias dicit cap. 11. Ipſe eſt homo, & quis ſcit eum ? Dicendum ergo eſt Nobis quod Patres noſtri in primo Aduentu Meſſiæ defecerunt, & errauerunt? Et propter hoc ſumus in captiuitate iſta, quæ non habet finem; ergo in ira Dei ſumus.

CAP.

CAP. XI.

Chriſtus fuit Saluator Mundi per Baptiſmum.

PAuco (Domini mei) ne iſte Iuſtus qui iudicaturus eſt in iſto ſecundo ſuo Aduentu, ipſe fuerit Saluator primo Aduentu, quoniam Dauid Propheta de illo dicit; Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, reuelauit in conſpectu gentium viam ſuam; Et adhuc dicit Iſaias: haurietis aquam in gaudio de piſcinis Saluatoris. Quod dictum, ſecundum videre meum intelligitur pro Baptiſmo. Iam in primo Aduentu ſaluauit per aquam; in ſecundo iudicabit per ignem. Et de iſto Saluatore, dicit Iob cap. 19. Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra reſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum; ergo vocata Saluatorem iſtum Iuſtum Deum, cùm dicit: Et in carne mea videbo Saluatorem meum: Conſtat ergo quòd oculi Carne non videbunt Dei eſſentiam; habemus autem ſecundùm Scripturas, quòd Saluator eſt ille Iuſtus, de quo eſt ſermo, qui ſolus dici poteſt verè Iuſtus, quoniam nullum peccatum fecit, ſecundùm quod de illo teſtificatur Deus per os Iſaiæ; non enim de Moyſe, nec de aliquo Propheta dici-

dicitur quòd ſit Saluator iuſtus ſine peccato, quia Moyſes peccauit, & omnes alij Prophetæ peccauerunt, ſicut, & vos ſcitis (Domini mei) & id circo nullus eorum vocatur Saluator iuſtus in Scriptura; ſed illud nomen illi Soli ſeruatur; & ſine dubio non ſaluatur, niſi qui credit primum Aduentum ſuum, & qui non credunt non habent cauſam aliquam quòd ſaluentur ab illo in ſecundo Aduentu eius, ſed ſunt morte digni. Quia ſi digni morte erant illi, qui non crediderunt Moyſi, & non obediuerunt ei, qui fuit peccator, quantò magis digni ſunt igne qui non credunt, vel blaſphemant Dominum iſtum, qui peccatum neſciuit vnquam; quicquid autem dicamus contra nos eſt, ergo?

CAP. XII.

De exaltatione Filij Dei.

IN Scripturis noſtris inuenio, quòd Chriſtus exaltabitur in terra ad Cœlum: Et ego timeo quòd hoc ſit completum in iſto Iuſto, qui fuit interfectus à Patribus noſtris. Et de iſta exaltatione dicit Dauid Propheta in Pſalm. 23. O Magnates aperite Portas Principatus veſtri, & eleuamini portæ æternales, & introbit Rex Gloriæ: & ecce reſpondent ei Angeli de cælo: Quis eſt iſte Rex Gloriæ? & ipſe: Dominus virtutum in bello fortis. Et conſtat

ſtat (Domini mei) quòd hic Iuſtus Dominus prælium non ſumpſit, niſi in primo eius Aduentu; quia quando ſedebit ad iudicandum, ignis in circuitu eius exardeſcet, & inflammabit inimicos eius conflabit iuſtos per ignem; quaſi argentum: & aurum: & tunc in vltimo eius Aduentu nullus præliabitur contra illum, nec locutus eſt pugnæ. Adhuc de iſtius Iuſti exaltatione dicit Iſaias cap. 8. & 63. Quis eſt iſte qui venit de Eſdron tinctis veſtibus de boſra? quis eſt iſte formoſus in ſtola ſua, & reſpondet Iuſtus iſte: Ego qui loquor inſtitiam, & pugnator ad ſaluationem; & dicent ei Angeli: Domine cur ergo rubrum eſt veſtimentum tuum ſicut calcantium in torculari? Reſpondet, & dicit illis; Torcular calcaui ſolus, & non erat homo mecum. Videte (Domini mei) quàm propriè loquitur Iſaias: & video quòd iſtæ reſponſiones huius Iuſti ad Angelos, non tangunt niſi ad nos, Maximè cùm dicit: Calcaui eos in ira mea, donec aſpexerunt Sanguinem eorum ſuper veſtimenta mea, ſed dies vltionis in corde meo, & annus retributionis meæ venit. Quantum ergo ſperare poſſum in iſto Iuſto Domino? alibi ſcimus ipſum de nobis Angelis fuiſſe conqueſtum in Cœlo, & votificauit eis, quòd ipſe non calcauit eos in ira ſua, niſi nos, qui poſtmodum bellum habuit nobiſcum in primo Aduentu ſuo; & poſtrati ſumus à Deo, & calcati ſumus, iam 1671. annis; & adhuc reſtat in

vltimo

vltimo eius Aduentu dies vltionis, & annus retributionis in corde ſuo. Vtinam (Domini mei) interfeciſſemus Iſaiam, & deleuiſſemus auctoritatem prædictam de Prophetia ſua, quod nunquam legeretur ab aliquo, & etiam quod Dauid Propheta vocat bellum; & Deus Dominus virtutum fortis in bello Iſaias vocat torcular Heù (Domini mei) bibimus muſtum, de quo dicit Iacob Patriarcha, & Propheta, vt habetur in Libro generationis Creaturarum. Cap. 47. de Iuda: Lauabit in ſanguine ſuo; ſic factum eſt de nobis in primo Aduentu Meſſiæ; & quantùm ad Aduentum eius, vltimo quando homines ſtabunt coram homine iudicante, in circuitu eius erit ignis paratus ad deuorandum illos, contra quos tulerit ſententiam; Tunc non tempus belli, & nunc iam in torculari calcabitur, quia tunc non erit tempus pænitendi, nec refugij, ſed iuſtitiæ, vt ipſe iudicatus fuit ſine peccato quod inueniretur in eo. Sic etiam iudicat peccatores; dixit autem Dominus per Prophetam Salomonem Prouerbiorum cap. 11. Quoniam Iuſtus recipiet Iudicium vbi erunt impij, & peccatores.

Digitized by Google

CAP. XIII.

De Proprietate Dei, vt homo, circa eius exaltationem.

NOn parum timoris affert (Domini mei) hæc verborum ſeries, quæ dicta ſunt, teſtimonia Prophetarum de illo iuſto videtur quòd venditus fuit pro argento, vt dixit Amos, quòd calcauit torcular, vt dixit Iſaias; quòd geſſit bellum cum Patribus noſtris, ſicut dixit Hieremias; quòd vulneratus in palmis ſuis, vt dixit Zaccharias: quòd ſuper eius veſtimenta miſerunt ſortem, vt dixit Dauid Propheta; & quòd aſcendit in Cœlum ſicut dixit idem Propheta, & alij: Hæc non conueniunt Dei in eſſentia, ſiue natura diuina, ſecundùm quam nec reſurget, nec exaltabitur, nec aſcendet, nec deſcendet. Et quæ iam dicta ſunt corporalia, quòd iam venit ille Iuſtus, hæc eius naturæ corporeæ, & ijs ſimilia potuerunt conuenire. Si autem videtur fortè durum, hominem corporeum aſcendere in Cœlum? Audite exempla, & auctoritates, quæ mihi occurent de Scripturis noſtris; ſuper hoc enim dixit Dauid; in Pſalmo 67. Aſcendit Dominus in altum, & ſaluabit captiuitatem, dedit dona hominibus: dicit

etiam

etiam in Pſalmo 67. Iubilate Deo, & glorificate nomini eius; iter facite, quia aſcendit de partibus Occidentis, Dominus nomen eſt illi, & adhuc dicit idem Propheta, quem habemus in corde: Iubilate Deo, qui aſcendit ſuper Tronum Cœli ab Oriente; & de ipſo dixit Amos cap 9: Dominus eſt qui ædificauit Domum ſuam in Cœlo; & de ipſo dixit Dauid in Pſalm 46. Aſcendit Dominus in iubilo, & Dominus in voce tube. De ipo etiam dixit Propheta cap. 3. Vidi hominem aſcendentem de corde Maris, & peruenit vſque in Cœlum. Dixit etiam Moyſes in Cantica: Leuabo ad bellum manum meam; & in Deuteronomio cap. 32. Conſurge, brachium Domini; de iſto dixit antea Matri Samuelis Prophetæ, primo Regum cap. 2. Dominus dabit Imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Dauid etiam dixit: Aſcendit Dominus ſuper pennas ventorum: Et hæ auctoritates occurrunt mihi ad probandam hanc Chriſti exaltationem vſque ad Cœlum corporaliter, ſicut plures aliæ, quas vos (Domini mei) non ignoratis. Nunc etiam exempla aliqua adducam de Lege noſtra, quæ non minus videntur nobis conuenientia, & credenda, ſcilicet, quod in corpore aſcenderet in Cœlum. Et hoc propter notabilem conſiderationem: Nam in Lege, & Prophetis habemus quòd verus Deus, & glorioſus aſſumpſit de terra, & eleuauit plures ſanctos viros Patres noſtros. Et ſi de

ipſis non dubitamus propter eorū Sanctitatem, & propter teſtimonium in Scripturis; Quare dubitamus de Aſcenſione iſtius Iuſti in corpore, & anima, cui Scriptura perhibet magis quàm alijs teſtimonium Sanctitatis? & qui durum bellum ſecundum Scripturas ſuſtinuit, & plures tentationes quàm aliquis de prædictis? & propterea (Domini mei) ſine exempli poſitione ſcitis, quòd Enoch, & Elyas iuſti fuerunt, & aſſumpti à Deo de Mundo iſto in corporibus ſuis: de Moyſe etiam (vt multi ex noſtris dicunt) tenemus quòd ſit in Cœlo in anima, & corpore aſſumptus peculiari munere à Deo; dicitur enim à Patribus noſtris quòd eius ſepulchrum non datur in terris, cùm fuerit Propheta maior, & Sanctior alijs; ideo Deus ſuſcitauit illum, & aſſumpſit in corpore, & anima ſicut alios Iuſtos prædictos aſſumpſit, & eleuauit ad locum vbi nunc ſunt. Nos non debemus mirari ſuper hoc, ſcilicet quòd aer iſte leuis, & ſubtilis corpora tam ponderoſa eleuauerit, quia ſcimùs quòd aqua eſt ſimilis in raritate aeri, quando placuit Omnipotentiæ Omnipotentis portauit corpora filiorum Iſrael in eorum exitu de Ægypto; & quando fuit a Deo acceptum ſacrificium, & ignis deſcendit de Cœlo, & eleuauit, portauitque corpora pecudum, & boum, quæ offerabantur Deo. Moyſes autem, & Elyas Prophetauerunt de iſtius Iuſti eleuatione; & alij Prophetæ. Vnde non decet nos credere

circa

Digitized by Google

circa eleuationem dictorum Sanctorum, cum poſtea increduli ſimus de corporea eleuatione iſtius Iuſti, & Domini in Cælum, de quo ſunt teſtimonia in Cælis, & in ſcripturis ſicut dictum eſt in gloſſis, quæ dici poſſunt: Quia ſatis apparet quòd Deus aſſumpſit prædictos viros de quibus nullus dubitat, & ad finem diſponit corda omnium; Vt de Aſcenſione iſtius Iuſti non dubitarent. Eſt alia quoque cauſa, cur de ipſo dubitent noſtri; quia Aduentus eius primus fuit occultus, & modus inſolitus, ſicut dixit Iſaias; homo eſt, & quis cognoſcit eum? qui Propheta etiam dixit: Virgo concipiet, & pariet filium; vbi eſt attendendum quòd tacet de Patre, & propter hoc, quod alibi dicit in Libro Bibliæ, Non reputauimus eum: & cap. 31. ſignum nouum creauit Deus ſuper terram; Mulier circumdabit virum; dicit etiam Malachias cap. 5. Propter hoc dabit eos Deus vſque ad tempus in quo parturiens pariet; & eſt notandum quòd non fecit mentionem Propheta de Marito Iuſtum parturientis, cùm inquit de neceſſitate iſtius Iuſti; Qui ſolus eſt natus propter inſolitum, modum curſumque Carnalem, qui ex Matre Virgine, ſicut de illa prędixit Deus per os Iſaiæ Prophetæ cap. 7. cum dicit: Audite Domus Dauid, Deus dabit vobis ſignum; Virgo concipiet, & pariet Filium: omnes autem ſupradicti ſunt de fœmina, & Viro carnali concepti in peccato, & fuerunt peccatores; & noſter Moyſes ſan-

ctior alijs Prophetis peccauit; vt confitetur per os ſuum peccaſſe; De iſto autem ſcilicet de Chriſto dicit Iſaias cap. 53. Qui numquam peccauit, nec inuentum eſt mendacium in ore eius de alijs omnibus Sanctis ſuis inuentus non eſt ſine prauitate; ſicut Hieremias Propheta dicit cap. 17. Corda hominum praua: quid ergo dicendum ſit de perfidia noſtra, cęcitate in hoc in excuſabili, quia voluntaria eſt, Conſiderate; nam ego ex me euaſionem non video.

CAP. XIV.

De Cæcitate Hebræorum.

MEritò quidem complectum eſt in Nobis quod dixit Iſaias Propheta Cæcitas cecidit ſuper Iſrael, quouſque intrauerit gentium plenitudo; & interum dicit cap. 6. Audientes audient, & non cognoſcent; corda iſtius gentis ſunt ingroſſata; & cap. 2. Et cæcum cor populi huius, & obſcuræ aures eius ne ſortè addiſcant, & conuertantur ad me, & ſanam eos: Et ipſe Iſaias ait: vſquequo Domine, cui dixit: quouſque Ciuitates deſertæ ſint, & maneat domus ſine habitatore; dicit etiam Daniel cap. 12. Claude ſermones, & ita volue Prophetias. Et Hieremias cap. 17. peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo in lapide adamantino, & extenſum ſuper alti-

altitudinem cordis eorum. Et Iſaias cap. 1. Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus Præſepe Domini ſui, populus autem meus non intellexit. Et Hieremias cap. 9. Miluus, & hirundo, & Ciconia ſciuit Aduentum ſuum, populus autem meus non cognouit. Hæc omnia dicta ſunt de nobis (Domini mei) quia non cognouimus Aduentum iſtius Domini. Et nobis dixit Deus per Iſaiam cap. 43. educ foras gentem cæçam, & non habentem oculos; & habentem ſurdas aures; & ecce omnes gentes congregatæ ſunt. Et quid voluit dicere de hoc Propheta per hæc verba, niſi quòd Deus repulit nos, quia non cognouimus tempus iſtius Iuſti Sancti. Et congregauit ad ſe gentes in fide loco noſtri; Super quo Dauid admiratus dixit Pſalmo 76. hæc mutatio dexteræ excelſi. Nos tamen Cæci ſumus; & potentiæ Dei rationem non facimus, qui in captiuitate iſta iam 1671. annis ſumus; Non accidit ita malè Patribus noſtris qui adorauerunt Idola, & occiderunt Prophetas, & tranſgreſſi ſunt à Lege in toto.

CAP. XV.

De Incredulitatis, & pertinaciæ iactura.

TImeo (Domini mei) propter hoc quod non credimus in iſto Iuſto; Idcirco

accidit nobis,& completum eſt illud quod dixit Deus per os Iſaiæ cap. 29. erit nobis Prophetia tamquam liber clauſus neſcio, tunc dabitur neſcienti liber, & dicet: Non ſum ego lector. Quænam clauſura eſt maior (Domini mei) quàm iſta, qua Deus clauſit corda noſtra? cum ſint anni 1671. in quibus non poſſumus cognoſcere Prophetiam nobis traditam à Prophetis, ſuper aduentu Iuſti huius; propter quòd alibi dicit Idem Propheta: Deſolabitur Iſrael, & corruet Domum ſanctam; dixit etiam: Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni, remanebit ſicut tignum vinea diſſipata: Dixit etiam Iſaias cap. 25. Domine Deus exaltabo nomen tuum, quoniam poſuiſti Ciuitatem in tumulum, & Dominum in confeſſionem, vt non ſit vſque in ſempiternum. Et cap. 30. cum dicit: Contere contrictionem vaſis ſubtilis, in quo remaneat pars ad portandum carbonem ignis, nec ad hauriendum guttam aquæ. Et completum eſt etiam (cariſſimi) quod dixit Daniel cap.20. poſtquam fuerit occiſus Chriſtus remanebit deſolatio perpetua. Ecce ergo deſolatio noſtra in qua ſumus 1671. annorum. Dixit tamen Iſaias cap.24. relicta eſt in Vrbe ſolitudo, & ſibilabit terra eorum Sibilo vſque in ſempiternum: Dixit quoque Hieremias c.6. Argentum reprobum vocat illos, quia Deus proiecit eum; Et dicit etiam Iſaias, cap. 50. Ambulate in lumine vultus veſtri, & in flam-

mis.

mis ſumus per annos 1671. Et dicit Amos cap. 1. Domus Iſrael cadet, & non eſt qui erigat eam, & videtur mihi quòd Deus duxit ſuper nos ruinam iſtam poſt Aduentum Iuſti huius, poſtquam nullus Propheta ſurrexit in nobis, nec ſurget; Quia ſicut prophetizatum eſt nobis manemus in incredulitate non recipientes fidem illius, ſed acriùs negantes. Dicit etiam Dauid: Qui habitat in Cælis irridebit eos, & Dominus ſubſanabit eos. Ecce quomodo, Deus faciem ſuam auertit à nobis, & de vanitate noſtra Opprobrium facit! Quæ vtilitas nobis eſt habere Legem, Circumciſionem, & Sabbathum? Dixit etiam Iſaias cap. 26. Populus iſte cęcus: Vetus error habebit: & quid eſt antiquum niſi lex noſtra quæ receſſit à nobis cum ſacrificio, cum altaribus? & quid nobis peius poterat euenire? quid queſo expectamus; Nonne videmus quòd diſperſit nos per quatuor partes Mundi in deſolatione æterna ſicut prædixit nobis Moyſes, Hieremias, & Iſaias, alijque Prophetæ? ergo pertinacia, & incredulitas noſtra perditio noſtra.

CAP. XVI.

De eiectione Hebræorum ob ſpretum Nouæ Legis, Et Congregatione Chriſti fidelium.

IAm illud video in nobis completum, quòd dicit Deus per os Iſaię cap. 65. Interficiet te Deus ò Iſrael; & vocauit ſeruos ſuos nomine alio. Pauco quòd de illis ſeruis ſimus quibus debet imponi illud nomen ſecundùm quòd dixit Moyſes in Deuteronomio cap. 26. erunt gentes in capite, & populus in cauda, ſicut nos ſumus iam ſunt 1671. anni. Dixit etiam Salomon lib. 3. Regum cap. 8. In oratione dicunt: Deus cùm venerit alienigenus ad domum ſanctam tuam, & vocauerit nomen tuum benedictum, exaudies eum Domine Deus meus, vt diſcat vniuerſa terra nomen tuum, & timeat ſicut populus tuus Iſrael. In quo gloriamur (Domini mei) & quare contemnimus gentes, ex quo Salomon in timore Dei fecit eos participes, in Domo Sancta: & fortè nos tanquam indignos deiecit de illa domo, & dedit cum iſtis? & de iſtis dixit etiam Moyſes in lib. 3. Legis cap. 14. Hæc dicit Dominus Deus, replebitur tota terra gloria Domini: & de ipſis dicit Dauid in Pſalmo: Peruenerunt, & con-

& conuertent ad Dominum vniuerſi fines terræ, & viles nationes; & de ipſis dixit Iſaias cap.60. O Domus Dauid ſancta venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt; Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui, leua in circuitu oculos tuos, & vide: Omnes iſti qui venerunt ad domum Dei, & congregati ſicut filij extranei. Quinam (Domini mei) venerunt ad domum Dei, niſi Gentes quæ ſeruiebant Idolis, hi erant extranei: Ideo ipſi, & Principes eorum, & Reges eorum, de quibus dixit Deus ambulabunt in lumine domus Sanctæ lætantur; & nos ſumus in tenebris extra illam iam ſunt 1671. anni Dixit etiam adhuc de illis idem Propheta cap. 65. Ecce gentes, quas neſciebas, vocabis, & nationes quæ te non recognouerunt ad te venient, ſicut de facto videmus hoc iam ſunt 1671. anni, quòd Chriſtus nobis miſſus ſecundùm Legem nobis datam venit, & gens, quæ Deum non nouerat venit ad eum, & ipſe dedit eis Legem nouam puram, & Sanctam, de qua dixit Dauid: Legem pone mihi Domine, &c. & alibi: & non auferas de ore meo verbum veritatis. Item: & cuſtodiam Legem tuam ſempre. Item: hęc facta eſt mihi; quia iuſtificationes tuas exquiſiui: Ergo Legem nouam dedit Deus vt clarè ſequitur Dauid: & immiſit in os meum Canticum nouum. Item. Sacrificium, & oblationem noluiſti. Deus meus volui, & legem tuam in medio

cordis mei ; Annunciaui Iuſtitiam tuam in Eccleſia magna; ecce quòd non tantùm oſtendit ipſe Dauid Legem nouam, ſed quoque nouam, Eccleſiam dum dicit: In Eccleſia magna ; quæ eſt Chriſtianorum Eccleſia; Et adhuc dixit cap.45. Concordauerunt gentes, & Reges eorum congregati in fide Dei: De illis dixit Iſaias cap. 65. & neſcierunt me qui non interrogabant de me; & inuenerunt me qui non quærebant me. De ipſis etiam dixit Propheta Hieremias cap.30. Congregabuntur omnes gentes in nomine Domini in domo Sancta, & non humiliabit vltra in prauitate cordium ſuorum; & de ipſis etiam dixit Daniel Propheta cap. 16. Ad te Gentes venient ab extraneis finibus, & dicent: Non hæreditabunt Patres veſtri niſi mendacium, & iniquitatem; & de ipſis etiam dixit Sophonias cap.3. Datum eſt gentibus vt loquerentur ſimul in me in nomine Domini vt ſeruiant ei humero vno omnis homo de loco ſuo, & omnes Inſulæ gentium; & de illis dicit Zacharias cap. 2. lætare Domus Syon quia ego veniam ad te, & habitabo in medio tui; in illa die appropinquabunt Gentes Deo in multitudine ſua; dicit etiam idem, cap. 9. Hæc dicit Dominus excercituum, venient multæ Gentes de loco vltimo, & dicet vir ad Iuuenem: Eamus, & quæramus Deum in bono. Et iſta (Domini mei) completa ſunt, & complentur in oculis noſtris, de plano videntes populos, & linguas, Libros

Legis

Legis Prophetarum omnium, & pſalterium; dimiſſis Idolis ſuis, nullus ex eis credet per manum Moyſis, & Aaron, nec alicuius Prophetarum noſtrorum nec aliqui veniet de fide Dei Idola ab illo tempore, quo crediderunt Iuſto illi, de quo dicit Abacuch Proph. cap. 3. ægreſſus es in ſalutem populi tui Chriſto tuo certa ergo eicicit Nos Deus, vt Nouæ Legis ſuę contemptores? & æterna erit diſperſio.

CAP. XVII.

Benedictio Dei in Chriſtianos maledictio in Hæbreos.

VAldè expaueſco (Domini mei) quòd Deus victor, & glorioſus, qui viuificat iſtas gentes pro fide interficiat nos incredulitate noſtra; ſicut ipſe dicit per os Iſaiæ cap. 65. pro eo quòd vocaui, & non reſpondiſtis; hæc dicit Dominus Deus, ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis; ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis; Item ſerui mei gaudebunt in exultatione cordis, & vos concutiemini pro amaritudine cordis, & interficiet Deus te ò Iſrael, & vocauit ſeruos nomine alio, in quo benedicet Deus illis, qui benedictus eſt ſuper terram. Amen.

Et videmus (cariſſimi) hos redemptos iſtius nomine benedictos à Domino ſuper faciem terræ, & nos diſperſit in captiuitate

te in quattuor partes Mundi 1671. annis; & apparent in nobis veſtigia iræ Dei non ad Caſtigationem, ſed ad deſtructionem; & illa eſt interfectio quam Deus cominatus eſt, quòd interficiet Iſrael; & iſtæ gentes vicinales, vel vicinæ, quas vocat ſeruos ſuos receperunt nomen quod Deus permiſit, ſed non ante mortem noſtri nominis primi, ſecundùm ordinem Dei per Iſaiam; & fames, & ſitis, quas nos patimur non eſt panis, ſed cordium, & animarum ſceleritas; & famis verbi Domini, & ſitis propriè declaratur per os Amos Prophetæ cap. 7. quod vos (Domini) ſcitis magis, quàm ego. Iuſtè ergo damnamur.

CAP. XVIII.

De prædicatione nouæ Legis.

TImeo (Domini mei) quòd gentes, quæ iuſtificatæ ſunt 1671. annis poſtquam mortuus eſt Iſrael, quæ nil boni habebant antequam crederent in Deum, & in ipſo vel Chriſto eius, ſint Populus Dei, Vinea Dei electa, & cœleſtis Patriæ hæredes, dum ipſæ gentes purificatæ per fidem habent ieiunia ſua, & obſeruantias legis nouæ, & habent omnia, quæ ad mundiciam pertinent contenta in antiqua Lege Iudęorum; Videte quòd in omni lingua & in omni angulo, & loco, in Oriente

& Oc-

& Occidente ſunt confitentes nomen Dei; Et non credunt in eo per Moyſem, neque per aliquem Prophetarum, qui ſint ſtudioſi in Lege, & in Libris omnium Prophetarum; Sed Deus vocauit eos diſcipulos Iuſti, qui egreſſus eſt cum Deo in ſalutem eorum ſicut ipſe Deus prædixit per os Abacuch Prophetæ, & iſti Diſcipuli eius fuerunt de filijs noſtris Iſrael, qui alio nomine vocantur Apoſtili. Valde paueo (cariſſimi) quòd iſti ſint illi de quibus dixit Deus per os Dauid Pſalm. 119. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum; & tunc expreſsè Propheta denunciat nobis quòd de iſtis loquitur, non autem de nobis; dicit enim quòd non erit lingua nec ſermo, quorum non audiantur voces eorum: hæc non poſſunt eſſe de lingua noſtra hæbraica, quia etiam gentes, quæ non obediunt patribus noſtris Moyſi, & Aaron, quinimo ipſi interfecerunt gentes, & fugauerunt eas à ſe; & gentes ſciunt hunc Moyſem, & Prophetas, & cognouerunt Dominum; ſeruantes Legem nouam, ſicut Apoſtoli dixerunt eis.

CAP-

CAP. XIX.

De electione, & fructu Apoſtolorum Chriſti; De eius Sacerdotio, & Legis innouatione.

DOmini mei cariſſimi, quò magis in me timor creſcit, eo magis fides mea decreſcit, quia tàm apertè loquuntur Prophetæ, quòd eorum ſenſum euertere maximæ temeritatis videtur. Inuenio igitur in ore Zacharię cap. 13. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis: hoc fuit completum, quando percuſſimus Paſtorem iſtorum Apoſtolorum, ex tunc oues diſperſi ſumus per vniuerſum Orbem. Et iſti filij noſtri ſcilicet Apoſtoli ſurrexerunt Prophetarum idque apparet ex eo, quòd Deus poſt illos non miſit nobis Prophetam, nec notificauit nobis aliquam Prophetiam ſiue promiſſionem. Timeo quòd iſti Apoſtoli ſint illi pueri de quibus dixit Deus per os Iocelis cap. 3. cùm dicit: ſenes noſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes noſtri viſiones videbunt; Certè ſenes noſtri ſunt Prophetæ, qui ſomniauerunt fidem gentium, & conſecuti ſunt, & viderunt iſti pueri ſiue Apoſtoli: & de his dicit Dauid Propheta in Pſalm. 33. Venite filij, audite me, timorem Domini docebo

cebo vos; & Deus non vocat filios Iudæos pluraliter ſed ſolùm nominat Iſrael Primogenitum meum in communi vſu loquendi, & in Pſalm. aiio; vocat iſtos filios cùm dicit; Filij tui ſicut nouellæ Oliuarum ſicut noua plantatio in Iſrael. Dicit Deus per os Iſaiæ cap 5. Vinea Domini Dei fuit domus Iſrael, & expectaui vt veniret mihi cum Vuis, & venit cùm ſpinis, propter hoc ad ducam qui deſtruat illam cum calcatione; & de iſtis prędictis Filijs Dei, qui dicuntur Apoſtoli, dixit Deus per os Iſaiæ cap. 28. Non modò erubeſcet Iacob, nec facies eorum liqueſiet, ſed tunc quando de filijs ſuis illos, quos creauerunt manus meæ ſanctificabo ante oculos ſuos. Et ſi eſſent (Domini mei) filij ſanctificati coram nobis ſecundùm viam Legis noſtrę non diceret Deus, quod eſſemus in erubeſcentia propter Iacob, & diſſoluerentur facies noſtræ; immò haberemus gloriam, & ſplendorem, facies noſtræ confuſio faciei Iacob. Et diſſolutio eſt talis, quòd iſti filij, quos Deus creauit manu ſua, ſcilicet Apoſtoli, ſunt ſanctificati coram nobis, & non ſecundùm Legem noſtram, per quos Deus oſtendit quòd Lex noſtra non erit lex ipſorum: dicit etiàm per os Hieremiæ Prophetæ cap. 31. primò in illa die non dicent Patres noſtri comederunt Vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt, ſicut infidelitas Iudæorum: Nec nocuit, vel nocebit fidei Apoſtolorum: propter hoc ſcribitur. Viuo

ego

ego dicit Dominus; & ſcimus quòd vltra prouerbium iſtud in Iſrael, ſemper ipſi Apoſtoli, poſtquam repulerunt fidem noſtram, qui non ſentiunt acerbitatem infidelitatis noſtræ ſicut dentes noſtri, obſtupeſcunt de peccato Patrum noſtrorum: Item de his Apoſtolis dixit Deus per os Iſaiæ cap. 4. à quo transmigrabo niſi à populo meo? Filij autem qui erunt fideles Deus erit Saluator eorum in omnibus anguſtijs ipſorum, & virtus eius cuſtodiet eos in charitate eius, & in clementia ſua redimet, propitius erit illis in longitudine dierum. Veriſſimum (cariſſimi) quòd iſti filij Dei de quibus loquitur ſempre manſerunt firmi, nec Deus transmigrabit ab eis ab illo tempore quo redemit eos Rex ille iuſtus magiſter eorum; ſed transmigrauit à nobis, & fuit ſemper cum illis; & de Iſrael, & de filijs qui ſunt Apoſtoli dicit ſapiens, Ieſus filius Sydrach in Libro ſuo, cap. 4. Audite filij cariſimi, & operamini ad ſalutem, quem Deus honorat Patrem in filijs; & qualiter debet intelligi honor iſte, declarauit Deus per os Malachiæ Prophetæ; cap. 3. cùm dicit; Mittat Deus Elyam qui conuertat corda Patrum ad filios; vnde ſi Dominus deberet conuertere corda filiorum, ideſt Apoſtolorum ad Patres, cùm hæc debeant intelligi de fide, tunc iſti filij ideſt Apoſtoli fuiſſent nobiſcum in captiuitate iſta, quæ non habet finem, ſicut, & Patres noſtri; vt nos ſumus; Sed ex quo ordinauit quòd debeant corda Patrum

trum ad filios conuerti, quid eſt quòd expectamus, & quid præſtolamur? Et ſi volumus dicere quòd alij filij debeant eſſe, præter Apoſtolos, de quibus intelligantur prædicta, illi erunt in captiuitate prædicta vt nos, ex quo viam Iuſti iſtius non ſunt ſecuti firmiter, & docuerunt ſequenda, & propter hoc habuerunt honorem Patrum in hoc quòd Patres debent ad illos conuerti; Cùm ergo (Domini mei) filij noſtri venerint antequam Patres ad fidem Dei, ſi corda noſtra conuertantur ad filios, corda eorum conuertentur ad nos; Et ſicut Deus Altiſſimus, erit populos, & amicus vnus in Deo glorioſo, & victorioſo: Nec debemus intelligere illam conuerſionem nunc de infidelitate ad fidem, & doctrinam iſtius Iuſti, qui eſt Magiſter eorum; ſalutis, qui credunt in eum; Ipſe eſt cuius Sacerdotium erit ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacrificium panis, & vini. Et fuit Melchiſedech Sacerdos, & Rex Dei Altiſſimi ante Aaron; Attendite, quanta ſit dicta differentia inter Sacerdotium Aaron, & Iuſti iſtius Domini, ſecundùm quod dicit Dauid in Pſal. Dixit Dominus Domino meo, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, non ad tempus ſicut Aaron, qui mortuus eſt 120. annorum: Item Sacrificium Aoron fuerunt Carnes, & Sacrificium Iuſti iſtius fuit panis, & vinum ſecundùm ordinem Melchiſedech: In quibus verbis Deus per Prophetam Aaron

mani-

manifeſtè oſtendit quòd Sacrificium Aaron finiretur, quando incipiet Sacrificium illud æternum, & ordinatio ſacrificandi ſecundùm Aaron ex toto ceſſaret, quando incipiet Sacrificium in panem, & vinum æternaliter duraturum. De hoc aliquæ pauca dicam quæ mihi occurrunt, de iſtis filijs, de quibus Deus dixit per os Ieſu filij Betri cap. primo: erit locus in quo dicetur: vos eſtis filij Dei viui; & iſte locus (Domini mei) abſque dubio erit Eccleſia Chriſtianorum, quia Propheta denotat locum in hoc quòd dicit: erit locus Synagoga; qui locus primus iam erat, & Sinagogam vocat per os Moyſis, & Aaron, & omnium Prophetarum primogenitum meum: Sed in ſpeciali, & quando quem libet in ſpeciali, iſtos ſecundos genitos vocat Propheta filios Dei viui; cap 32. Sanguinem Filiorum ſuorum leuabit, & terram populi ſui; & nos (Domini mei) occidimus Prophetas, & non fecit Deus vindictam de eis niſi 70. annis; ſed occidimus Apoſtolos, & Iuſtum Magiſtrum ipſorum, & fecit Deus vindictam iam ſunt 1671. anni. Et propter mortem ipſorum leuauit Deus terram populi ſui, & non dixit; Terram filiorum Iſrael: De ipſis dixit etiam Dauid in Pſalm. 26. Sicut Sagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum; Comparat autem Propheta iſtos filios ſagittis emiſſis de manu potentis; quia Dominus Omnipotens miſit eos ad 12. partes Mundi per quatuor Elementa

cum

cum Doctrina Legis, & Pſalterij, & Prophetarum. Moyſes autem, & Aaron non miſerunt extra domum Sanctam ad docendum, non ad Iudæam, non Romam, nec ad alia loca extra locum Sanctum, ſeu domum Sanctam miſit eos annunciare doctrinam Legis, & Prophetarum, & iſti ſunt perfecti miſſi per vniuerſum Mundum à Domino. Surrexerunt coram Domino loco noſtri, poſtquam Deus occidit Iſrael, & nomen noſtrum; & per iſtos innouata eſt Lex prima ſecundùm ordinem Melchiſedech; Sacrificium Deus inſtituit in Pane, & vino, ex quibus communicauit Abraham amicus Dei, prout apportat in Lege verbum apud nos, quòd Deus per myſterium iſtorum mutauit Sacrificium noſtrum, ſicut mutauit Legem antiquā carnalem in Legem nouam ſpiritualem; & ſic Deus dixit ipſi noſtro Meſſiæ, ſcilicet Chriſto. Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, & amicus Dei communicauit de Sacrificio panis, & vini, & non de Sacrificio Carnis: ergo Nos qui veſtigia Patrum noſtrorum ſequimur, & pertinaciæ noſtræ indiſſolubili vinculo tenemur, Inimici Dei ſumus, & ab æterna captiuitate in quà viuimus, æternitatem animæ pœnæ ſatis videmus.

CAP.

CAP. XX.

De Sacrificijs hæbreorum, quæ Deus repulit.

TImendum maximè eſt de Ira Dei in nobis cùm Sacrificium nouum acceptare noluerimus noſtrum ; Ideo elongauit nos à ſe, & ſacrificium noſtrum, & acceptauit ſacrificium Gentium ſicut ipſe dixit per os Malachiæ cap.1. Non eſt mihi voluptas in vobis dicit Dominus , nec in Sacrificijs veſtris, quoniam ab ortu Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, quæ offerunt nomini meo ſacrificium mundum ; ergo apud Deum Sacrificium noſtrum nullum: Et inſu per quia Deus priuauit nos omni ſacrificio mundo, ſicut nos vitamus gentes omni tempore . De quo Dauid Pſal. 50. Nunquid vidiſtis vos quod ego comederem carnes Taurorum, aut hircorum ſanguinem biberem? & Oſeas. Cap. 5. Hoſtias offerent: immolabunt carnes, & comedent , & Dominus non ſuſcipiet eas: item Amos. cap.8. Si obtuleritis mihi holocauſta,& munera veſtra non ſuſcipiã,& vota pinguium veſtrorum non reſpiciam, propter quod manifeſtat Deus, quòd ipſe contemnit Carnium ſacrificium noſtrum; argumentum iræ Dei: quia aliud inſtituit ſacrificium . Et vnde eſt nobis (Domini mei

mei) quòd hoc nos deteſtamur, Sacrificium panis, & vini in gentibus quòd ſtatuit Deus, & in nullo reprobat, ſicut reprobat Sacrificium carnium, vt Salomon Propheta vbi dicit: Aaron extendit manum ſuam ſuper altare, & obtulit Sanguinem Vuæ incenſum Deo vino, & obtulit Sacrificium noſtrum de germinibus terræ; ſicut Melchiſedech obtulit, obtulitquæ Abraham; Deus etiam teſtificatur per os Ieſus Prophetæ cap. primo: quòd nos obtulimus Sacrificium cùm dicit; Non offeratis Sacrificium panis, quoniam panes veſtri triſtitiæ ſunt, & quicumque comederit ex eis contaminabitur. Vnde nos aliquando offerebamus Sacrificium panis, ſed malè eſt Deo acceptum Sacrificium de noſtris manibus: & de noſtro Sacrificio Carnium dixit Ieſus Propheta cap. 9. Deus magis diligit pietatem, & miſericordiam quàm Sacrificium carnium, vt Dauid ait; Miſericordiam volui, & non Sacrificium: Declarat etiam Sacrificium gentium per Moyſem Leuitici 30. offeratis Deo de leuatis, & de arca, & de expreſſione vuæ, & benedicat vobis Deus, & omnibus motis operibus manuum veſtrarum.

CAP-

CAP. XXI.

De Sacrificio Azimorum.

SAcrificium Azimorum olim poſtulauit Deus, cùm mandauit nobis in principio poni ante Arcam fœderis Domini panes, & non Carnes; & in Exodo cap. 18. dixit Deus Moyſi; offeratis hircos, & cum illis panes Azimos; & panes ſunt Sacrificium in 3. Libro legis cap. 3. offeratis Deo Sacrificium de omnibus habitationibus veſtris, panes duos de primitijs frugum, & cum Carnibus arietum; primùm ponit panes, poſteà carnes, & in alio loco legitur, quòd dixit Dominus Deus filii Iſrael: quando intraueritis terram habitationis veſtræ, quam ego daturus ſum vobis in hęreditatem, offeretis Deo panes in Sacrificio, & ſacrificabitis, & adhuc tamen cum farina puriſſima; ergo Deus præcepit fieri de pane, & farina puriſſima illud; & tale eſt Sacrificium hoc gentium ſcilicet panis, & farinæ puriſſimæ. De hoc Sacrificio fit mentio primo Regum cap. 21. Cùm Dauid venit ad Achimelech Principem Sacerdotũ in Sillo, & petiit ab eo panes: qui reſpondit: Non ſunt hic panes, niſi panis oblatus in Sacrificio, quòd non conuenit comedere pueris eis, quia ſanctus eſt; hæc dicta de Sacrificio panis,

panis, & plura alia dici poſſent, quæ vos (Domini mei) bene ſcitis. Ex quibus noſtra procedit confuſio, cùm pertinaci malitia impediatur confeſſio.

CAP. XXII.

De Sacrificio Aquæ.

SAcrificium Aquæ nobis in conueniens videri non debet, inuenimus enim in Scriptura de hoc exemplum, quòd fuit Deo acceptum: in Lib. 2. Regum, cap. 20. quòd tres Iuuenes hauſerunt aquam de ciſterna, quæ erat iuxta portam Bethleem, & Propheta obtulit Deo Sacrificium; ergo non eſt contra Scripturam; ſi gentes ponunt aquam in Sacrificium, quod faciunt Deo. Nos legimus vt dictum eſt, quòd Aaron fecit Sacrificium Deo de pane, & vino; & Dauid fecit Sacrificium de aqua; & iſta tria ſunt ſimul in vino; vnde Sacrificium mundum ſpiritualiter, quod natura patitur eſt magis, & quantum etiam intellectus noſter melius excogitare poteſt, non ſunt carnes Taurorum pinquium: Helyas autem etiam vt narratur Lib. 3. Reg. Infundit aquam ſuper Sacrificium Carnium, & Deus miſit ignem de Cœlo, & acceptauit Sacrificium cum aqua perfuſum magnus Angelus, & figura comminciauit ſub cinericijs, & aqua, cùm ambulauit

in fortitudine ſuper id quòd non poteſt concedere 40. diebus vſque ad Montem Dei: hoc Sacrificium vini, & aqua mixtum pulchrè, & apertè deſcribit Deus per os Salomonis Prophetæ, Prouerbiorum Capitulo 20. cùm dicit. Sapientia Altiſſimi communicauit Sacrificium ſuum miſcuit vinum, & parauit Menſam; tunc miſit ſeruos ſuos dicens: Qui eſt paruulus veniat ad me; & inſipientes comedant panem meum, & bibant vinum meum temperatum aqua. Quid eſt (Domini mei) cur non intelligimus hæc? quia nollumus. Quænam eſt menſa parata Sapientiæ, niſi Altiſſimi Altare? Quid eſt panis, & vinum mixtum, niſi Sacrificium de Pane, & vino, & aqua, quod fit in Altare Chriſtianorum? qui ſunt accipientes per Seruos ſapientiæ vocati, niſi ſerui qui ignorabant Deum per apoſtolos vocati, & accipientes panem ſuum, & vinum ſuum, per quem innuit hoc Sacrificium eſſe illi gratum? & ad iſtud conuiuium tàm ſubtile, & tàm ſpirituale non vocauit Patres noſtros, qui erant occupati in Sacrificio Legis, quia in carnale Sacrificium non dimiſſit nobis, ſed priuauit nos iam ſunt 1671. anni completi; quod nobis accidit per illum Iuſtum in quem peccauimus.

De menſa ergo tàm ſublimi abiecti quid ſalutiferi ſperamus, quod nam Sacrificium nos ſanabit? Audeo dicere quòd Nos ſumus de illis inuitatis, reſponderunt; Non poſſum venire: ſed cùm ſciamus impedimen-

Digitized by Google

mentum eſſe obſtinationem noſtram, peiores illis ſumus; nam nolumus venire reſpondemus, quid ergo erit nobis? conſiderate vos ſapientiſſimi; ego enim cùm timeam de quæſitis meis reſolutionem à vobis habere non poſſe, quia inexcuſabiles eſtis, in melius ſacrificabo.

CAP. XXIII.

De Sacrificio Panis, & vini ex ore Prophetarum prædicato.

VAldè timendum Nobis (Domini mei) de perditione Noſtra, cum firmi ſimus in voluntaria cæcitate ne videamus apertiſſimè Sacrificium nouum Deo acceptabile, quod Nobis ipſi Prophetæ tot in locis oſtendunt; & idem Deus per os Malachiæ vbi ait: Ab ortu Solis vſque ad Occaſum gentes offerunt *Sacrificium nouum mihi*. Vbi aduertendum eſt, quòd Sacrificium noſtrum non fuit acceptum niſi in vno tantùm loco, ſcilicet in Domo Sancta præcisè, quo etiam loco, Sacrificio priuauit nos Deus. Vnde venit ſuper nos, & completum eſt quòd Deus dixit per os Malachiæ vbi ait; Non eſt mihi voluptas in vobis, & Sacrificium non accipiam à vobis; & iam completur in Nobis quod Iſaias dicit Cap. 1. Quid mihi

in multitudine victimarum veſtrarum ? quid multiplicatis Sacrificium mihi de de arietibus , & de carnibus hircorum ? Ego enim contempſi Sanguinem Vitulorum, Carnes arietum , & hircorum cum præſtaueritis ea coram me ; & quis recipiet à vobis ? Amodò non deturpetis lapides meos ſanctos fruſtra ; non offeratis Sacrificium vltrà , quoniam incenſum veſtrum , & ſolemnitates veſtras , & Sabbatha veſtra non recipiam à vobis , quia odiuit ea anima mea . Si eleuaueritis manus veſtras ad me auertam vultum meum à vobis, & ſi multiplicaueritis Orationes , non exaudiam illas , quoniam manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine;& omne Sacrificium veſtrum ſicut cadauer fætidum in greſſu portæ atrij exterioris ; & ille , qui mihi iugulauerit Ta urum,ſicut qui decollauit hominem Sacrificium hirci , ſicut qui obtulerit Sanguinem Porci .

Ergo hęc abhominatio de Sacrificijs noſtris apud Deum nihil aliud ſignificat, niſi mutationem Sacrificii noſtri carnalis , in Sacrificium iſtius Iuſti ſpirituale , & ſubtile , qui inſtituit offerri Panem loco carnium , & aquam mundam loco pinguedinis ; purum vinum loco Sanguinis ; & hoc modo moderno ſpirituali eſt acceptabile Deo noſtro , ſicut antea erant animalia decollata per nos , quæ per Prophetam dicuntur cadauera putrida ; Nos autem Dei ſumus (Domini mei) & ad eum non redimus in omnibus quæ acciderunt nobis ?

bis? Et quare non credimus hæc, quæ locutus eſt Deus per Prophetam iſtum, qui deſcribit tàm euidenter de expulſis Sacrificijs noſtris: Item per os Hieremiæ cap. 8. Inuitate proximos veſtros ad Sacrificia, & comedite cum eis carnis Sacrificiorum veſtrorum, quia in die, qua eduxi Patres veſtros de Ægypto non præcepi eis verbum de Sacrificijs; ſed dixi eis; audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, ſi ambulaueritis in via, quam præcipio vobis: Et non audierunt, nec poſuerunt aurem ſuam ad Deum: & vos Sapientiſſimi Doctores Iudæorum ex illis eſtis qui noſtris hæc; quid ergo futurum ſit; In nobis eſt.

CAP. XXIV.

De Catholica Eccleſia.

O Quanti terroris, ac tremoris mihi ſunt (Domini mei) verba illa, quæ deſcribuntur Capit. 25. primi Libri Legis, cùm (de Eccleſia Chriſtiana, & Synagoga intelligens) ait Dominus Deus Rebeccæ Sorori Ioſuè: Duæ gentes ſunt in Vtero tuo, & duo populi diuidentur à ventre tuo; gens gentem ſuperabit, & maior ſeruiet minori: Notandum eſt ergo, quòd ſola Rebecca fuit mater Iudeorum, & gentilium; populus magnus, & Primogenitus fuit Synagoga, quæ magna fuit hono-

re , & Scientia , & Dei populus Primogenitus ; Et minor apud Deum fuerunt Gentes in infidelitate manentes , & in Ignorantia ſua : Sed cùm Deus occiderit Iſrael, vt ait Iſaias , Tunc tota ſubuerſa eſt Synagoga , & quæ fuerat maior ſeruiuit gentili , quæ fuerat minor, vt compleretur verbum quòd Deus dixit Rebeccæ : Gens gentem ſuperabit , &c. De Eccleſia dixit Deus per os Dauid Prophetæ Pſalm. 44. Aſtiſtit Regina à dextris tui in veſtitu deaurato diſtinctis coloribus adornata . Exponitur quòd Eccleſia gentilium quæ vocatur Regina diuerſitatè omnium linguarum quæ Deus ſeruiuit eſt adornata colorum diſtinctione . Nam omnes linguæ in Eccleſia concordant in vna expoſitione Legis , & Pſalterij , & Librorum omnium Prophetarum ; Synagoga verò non habuit niſi vnam linguam tantum,& ornatum ſuum quaſi ſub colora vno . Ergo Eccleſia Dei magna,& electa Chriſtianorum ipſa ſine dubio exiſtit, vt Dauid teſtatur pſalm. 39. Annunciaui Iuſtitiam tuam in Eccleſia Magna,& pſal.34 Confitebor tibi in Eccleſia Magna , in populo graui laudabo te . Populum grauem vocat Chriſtianos , quia magni ponderis eſt apud Deum,nos verò ſumus in conſpectu eius leues , & fragiles vt dixit Dauid tamquam vas figuli confinges eos : & alibi : Fiant tamquam puluis ante faciem venti : & Gloria noſtra vana , & inanis ; tamquam folium quod vento rapitur ; qualis ergo

ergo ſit ſtatus, & conditio noſtra dicat Sapientia veſtra, & vereatur.

CAP. XXV.

De Synagoga, & eius indignitate.

TAm magis augetur timor, quàm frequentiùs audio per Malachiam Deum furibundè minantem, in Synagogis Noſtris cùm ait: *Non eſt voluptas mihi in Sacrificijs veſtris, quia ab ortu Solis, vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum inter gentes, quæ offerunt nomini meo Sacrificium mundum*: vnde notandum, quòd ſicut de natura ſua munda ſunt aqua, vinum, & farina pura, de quibus factum eſt Sacrificium, non indigent mundatione, & lotione. Synagoga vero indiget lauare carnes Sacrificiorum ſuorum, & ventres animalium purgare quæ in Sacrificio offerebãtur, & lauare locum de Sanguine, & pinguedine Sacrificiorum, aliter eſt error tractare: In ſacrificio autem panis, & vini, & aquæ non apparet aliquid indecens nihil turpe, etiam corporaliter ſumpta. Video (Domini mei) quòd de iſto Sacrificio dicit Deus per Salomonem Prophetam cap. 17. Prouerbiorum. *Melius eſt bucella panis cum caritate, quàm vitulus ſaginatus cum inimicitia*. Bucella amoris pura eſt man-

ſuetudo ſuper manſuetudinem, & remi
ſio mutua offenſarum, & vitulos odij ſa
ginatus eſt occulta pro Eccleſia interfecti
inimicorum: ergo (Domini mei) Sacrif
cium Synagogæ eſt vitulus pinguis cum
inimicitia. Et ſacrificium Eccleſiæ eſt Bu
cella panis caritatis, de qua dixit Deus v
ſupra. Pulchre etiam deſcribit Deus Ec
cleſiam aſſimilando eam Terræ per os Sa
lomonis Prouerbiorum cap.5. cùm dixit
Terra ſerua Dei duriſſima in æmulo ſuo
vbera eius inebrient te, & amor illius de
lectet te in æternum. Synagoga dici poſ
ſet ſerua aliquo modo, ſed non eſt poſſi
bile nobis exponere verbum iſtud de ill
præſertim, quia non habet æmulum ſo
lum, ſed æmulos multos; æmuli eius fue
runt Moyſès, & Aaron, Dauid, & Iſaia
Hieremias, Zacharias, Daniel, & cæte
ſimiles; Eccleſia eſt Deo dilecta ſerua in
æmulo ſcilicet vino non habente parem i
Nobilitate; Tunc ait Dominus, & dicit
Inebrient te vbera eius omni tempore, &
delectare in amore illius in æternum. In
quibus verbis Deus deſcribit Sacrificium
Eccleſiæ omni tempore duraturum: Simi
lat autem illam Deus matri lactanti filios
& in hoc quod dixit, inebrient te, denota
materiam Sacramenti, & vinum quod eſ
delectabile nutrimentum, & ſufficiens ſe
men. Quo ſacrificio iam fruitur, & dele
ctatur Eccleſia, 1671. anni ſunt, à quo
tempore priuauit Nos Deus Synagogis
& Sacrificio: æmulus autem ille, in quo
iſta

Digitized by Google

iſta Eccleſia eſt tam grata Deo eſt Chriſtus Dominus, & vbera eius dant vinum perpetuum, de quo prouenit gaudium ſempiternum; qui non dicit quòd dabit carnem, & pinguedinem, ſed ſanguinem, quæ fuerunt ſacrificium laborioſum ſacrificio ſynagogæ, quò priuauit nos iam ſunt 1671. anni. Fuit autem Synagoga ſicut mulier, quæ habuit alium virum, ſupple, Chriſtum, & perdidit illum, & domum ſanctam; & illa orationis ſerua Eccleſia in deſerto ſine marito, ſed Deus illius ſupplet. Vnde ipſe fortis, & glorioſus dicit per Iſaiam prophetam cap. 63. Puellæ ſequeſtratæ meliores ſunt quàm illæ quæ habent virum. Item ipſe Propheta cap. prædicto; ego faciam, dicit Dominus Deus vineam, & flumina magna ad dandum potum populo meo electo; & tu Iacob non obediens, & tu Iſrael non audiens; ſicut nos (Domini mei) ſumus extra obedientiam, nec habemus aures nec oculos; qua propter hæc captiuitas noſtra tàm vltra progreditur. Timeamus ergo de lege noſtra, quæ iram Dei perpetuam continebit; Eccleſia verò Chriſti dulcis, ſuauis, miraculis plena; de qua Dauid ſpalm. 31. Quàm magna, & quàm multa dulcedo tua Domine, quem abſcondiſti timentibus te, & repleuiſti eam ſperantibus in te. Et clarè conſtat (Domini mei) quod populus Synagogæ timuerunt pænas, & nunc furor Dei in ipſa; Sed populus Eccleſiæ Dei Speran-

tes ſunt in dulcedine Chriſti, qui percuſſus in facie non repercuſſit. Quapropter parauit illis Deus magnam dulcedinis ſuæ multitudinem, quam à Iudæis abſcondit. Quid ergo nobis ſperandum, neſcio.

CAP. XXVI.

De Ignorantia Hebræorum in Lege.

LOquente Domino per Iſaiam de nobis cap. 28. Cùm dicit: Hæc ſunt verba libri ſignati, quem non aperit lector non ignorans Litteras. De Filij autem ſupradictis ſcilicet Apoſtolis loquente Deo in eodem cap. dicente: Manifeſtabunt Semen Iacob, & Euangelizabunt Dominum Iſrael, & accipient ignorantes ſcientiam, & muſici ſciunt Legem: Aperte videmus (Domini mei) quòd iam ſunt 1671. anni, quòd ignorantes ſumus in lege Domini. Et qui nam ſunt Muſici cantantes pſalterium noſtrum, & Prophetias in Eccleſijs ſuis niſi Chriſtiani? De quibus Muſicis ſiueCantoribus dixit Deus per os Dauid, pſal. 85. Cantate Domino omnis terra: pſalmum dicite nomini eius: Item inferius: Conuertentur ad te vniuerſi fines terræ; & in eodem; Quæ etiam cantabunt, & dicent nomini tuo vniuerſæ filiæ terræ; & non Iſrael ſingulariter; de iſtis etiam muſicis dicit Deus per

per os Dauid pſal. 88. Cantabunt terræ gentes in domo Dei mei Canticum; in loco iſto ponit Cantilenam Antonomaſiæ; & adhuc ſunt 1671. anni, quòd Nos Iudei non cantauimus canticum in domo ſancta; de iſtis carminibus dicit Dauid: cantabunt pſalmos ſuos in domo Dei in æternum: de nobis dicit in pſalm. 139. Quomodo cantabunt Canticum Dei in terra aliena? Ergo qua ratione (Domini mei) poſſibile nobis facimus ſperare terram habituros, & nomen? cùm Deus dicat per Amos Prophetam cap. 5. cecidit Iſrael non reſurget; virga Iſrael proſtrata eſt, & non eleuabitur dicit etiam Propheta Amos cap. 9. & veniet eis tribulatio, & non ſaluabitur qui effugerit ex eis, & ſi abſconderint ſe in monte carmeli, inde præcipitabit eos manus mea, etiam ſi deſcendent in profundum maris, illuc mittam Serpentes, & mordebunt eos; & ſi abierunt in Captiuitate coram inimicis ſuis, ibi mandabo glaudium, & occidet eos, ponam oculum ſuper eos in malum, & non in bonum. Et quid fecerit nobis Deus tot ab hinc annis, dicite Vos (Sapientiſſimi) Ignoramus, & ignorantia craſſa perimus.

CAP. XXVII.

De Muſicali Laudis Sacrificio in Eccleſia diuinitus præordinato.

ET quis erit ex nobis qui lugere non poſſit, in Verbis Dei contra Nos: videlicet: Ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonum, ſicut manifeſtè videmus ſunt 1671. anni? dixit verò de iſtis filijs muſicatoribus per os Dauid Prophetæ: Omnes gentes plaudite, & cantate Deo in voce laudis? & alibi: Iubilate Deo omnes familiæ terræ, ſeruite Domino in lætitia; Introite in conſpectu eius: dicas totum Iubilate? vbi conſtant voces Dei ſuper filios Eccleſiæ ſuæ, & apparent Lex, Sacrificia, & felicitates Chriſtianorum: Et in pſalm. 65. Cantate Domino Deus omnis terra, & annuntiate de die in diem ſalutem eius in ſæculum ſæculi. Tremendum quidem (Domini mei) ex quò Deus dixit per os Hieremiæ cap. 9. Docete filios veſtros, & filias veſtras fletum, & planctum, quoniam mors egreſſa eſt per portas veſtras; vbi Deus dixit de his filijs muſicis per os Dauid pſal. 167. Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes iudices terræ Iuuenes, & virgines, ſenes cum Iunioribus

ribus glorificate nomen Domini: & in Pſal.48. In Sacrificio cantus honorificabit me; Ac ſi apertè diceret: Nolo veſtra (Iudæi Sacrificia carnium, & hircorum, ſed quæ diſpoſui ex iubilatione Amoris. Etiam (Domini mei) dirum eſt nos negare verba Creatoris veri, quæ dixit per os Iſaiæ Prophetæ cap.48. Muſici, ſeu muſicatores addiſcent ſcripturas, & verum Pſalterium Dauid, ſic muſicali arte notatum per ſonum acutum, & grauem. His omnibus conſideratis, videtur mihi, quòd nos erramus in hoc quòd de ſuæ laudis Sacrificio iudicamus, quòd in Eccleſia Dei exibent in cantando, præſertim cùm in Lege Dei de hoc inueniamus præcepta, & exempla: Dauid clarè dixit. Laudate eum in Cithara, & Organo laudate eum in Cymbalis benè ſonantibus; omnis ſpiritus laudet Dominum; hoc dicit Pſalm. 150. Patet exemplum quoque in ſecundo Regum cap. 6. vbi legitur, quòd Dauid diſcoperto capite pſallens pſallebat cum Cithara ante Arcam Dei quem temeraria Mulier Michol vxor ſua auſa eſt redarguere; cui ipſe ait: O fatua, nonne videbit Dominus in deſpectum pſallentem? filij autem Iſrael ſonabant buccina, dum transducebant Arcam: ſed qui ſumus (Domini mei) obſecro, nos irridentes ſolemnitates ipſorum Muſicorum, niſi fatua Michol? Et qui ſunt iſti canentes niſi Dauid:

Omnis ſpiritus laudet Dominum? Si dixiſſet omnis Iſraelita præcipuè, tunc poſſemus alijs inſultare. Et ſi Deus dixit per os Iſaiæ cap.11. quòd Gentes ſunt in conſpectu eius, quaſi hoc intelligendum de gentibus iſtis antequam haberent notitiam Dei per Aduentum Iuſti, quia tunc erant Pagani, & Idolatræ. Non aptè hoc intelligi debet niſi de gentibus quæ inuenerunt Dominum, qui offerunt omnibus diebus Sacrificium mundum in Oriente, & Occidente, ſicut dixit Deus per os Malachiæ Prophetæ, vt iam ſuperius dictum eſt. Ergo certè (Domini mei) in hoc nos erramus, dum quærimus lucem in Sole, & aquam in Mari. Nam ſatis ſi volumus cognoſcimus. Quid ergo erit nobis; iam dixi.

CAP. XXVIII.

Apoſtatæ facti ſunt Deo Iudæi, Ideo inexcuſabilis culpa, Ineuitabilis pœna.

VVlneramus (Domini mei) plaga inſanabili animas noſtras, quia credimus Deum non potuiſſe facere quæ fecit; dum eius virtutem in ſalutari ſuo conſpicere nolumus; & hoc eſt omnium malum malorum, veritatem in Scripituris tan-

tangere, & ipſam pertinaciæ errore adulterare. Vnde apoſtatauimus à Deo in principio Iuſti huius, cui expreſsè conueniunt omnia, quæ ſcripta ſunt apud Nos in Libris Pſalterij, & Prophetarũ, propter quam apoſtaſiam, Deus prætendit in longitudinē dierum nobis captiuitatem iſtam; & ſi expectamus Saluatorem alium ab iſto Iuſto, non prodeſt nobis: nam quòd in iſta pagina non fuerunt omnia expoſita de verbo ad verbum, propter nimiam eius inculcationem, argumentum nobis euidens eſt captiuitas illa quæ fuit in Babilone 70. annis, & quantùm ad tempus, quia breue, quantùm ad gratiam, quia Daniel Propheta fuit captus nobiſcum, qui erat amicus Dei: & per quem Deus conſolabunt nos de libertate propinqua; non etiam omnes Tribus fueruat in ipſa captiuitate: ſed hæc captiuitas iam peruenit ad complementum 1671. annorum nec eſt nobiſcum ſpes aliqua certa libertatis, quamuis vanam habeamus; ex quo ſignum eſt euidens quòd pro peccato noſtro generali quod eſt in nobis omnibus, elongatur, & perſeuerabit ira Dei ſuper gentem noſtram ſine fine; & tamen expectamus aliquem alium, qui redimat; quæ expectatio nihil prodeſt nobis. Et ſi volumus dicere quòd hæc captiuitas non eſt generalis, & quòd in aliqua parte Mundi habemus Regem, & Principem; citò poterimus ſecundùm noſtram Legem argui de mendacio, & conuinci; Nam ſi

nos Iudæi in aliqua parte Mundi Regem, & Principem haberemus hoc eſſet de vna ſola Tribu Iuda; Si Deus diffiniuit, quòd non eſſet ſuper Iuda niſi ex illa in æternum; Vnde dixit Hieremias Propheta cap. 17. Peccatum Iudæ ſcriptum eſt cum ſtylo ferreo in lapide adamantino, inſiliens ſuper corda ipſorum; & id quòd eſt ſcriptum in lapide adamantino qualiter deleri expectamus? Non delebitur in æternum præſertim quòd Deus fortis, & glorioſus locutus eſt per os Iſaiæ Prophetæ dicens, cap. 3. Dominator Dominus auferet à Hieruſalem, & Iudæa Iudicem Prophetam, & Principem; de nobis etiam dixit Propheta filius Boteri Cap. 15. Libri ſui: Erunt filij Hieruſalem ſine Principe, & ſine Lege. Nos ſcimus (Domini mei) quòd ab initio Mundi fuerunt aliqui Magiſtri, & Sancti coram Deo; & in principio fuerunt longeui ſuper terram, ſicut Mathuſalem, & Enoch, cæterique alij, & nemini iſtorum oſtendit Deus vitam vltra mille annos; & inuenimus inter nos, quòd Meſſias ſiue Chriſtus nobis promiſſus fuit natus in Babilonia tempore captiuitatis illius, quæ fuit 70. annorum; & ſecundùm hoc tempus noſtrum habet in ætate 1576. annos; quam fabulam, & non Prophetiam nulla ratione poſſumus defendere; hoc tamen dicimus, & aſſerimus in Synagogis noſtris, non commiſcere nobis extraneos: ſed audiui doctrinam Chriſtianorum publicam

blicam ſuper illo Pſal.86.& dicet ad Syon, dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe eſt qui fundauit eam: In verbis iſtis nominat Mariam Dominam terræ Ciuitas,ſeu nomine Ciuitatis dicit quòd homo natus eſt in ea, & non dicit cum Iſraelita nec alio, vt intelligatur quòd filius Mariæ non fuit vnquam in lumbis alicuius hominis. Et in 2. Libro Regum cap. 2. hoc manifeſtè declarat cùm dicit:Dauid quando compleueris dies tuos, & dormieris cum patribus tuis, Suſcitabo progeniem tuam poſt te, quæ egredietur de vtero tuo; Et ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium. Sed cùm nunquam fuerit poſſibile quòd aliquis filius egrederetur de vtero Patris ſui, Christus egreſſus fuit; ergo Dei filius. Et hoc expreſsè ponit ad demonſtrandum quòd Chriſtus non foret concipiendus in muliere per ſemen decurſum à lumbis viri ſicut cæteri homines tàm à Dauid,quàm a b alijs: Dicit etiam Dauid in Pſalm. 109. ex vtero ante Luciferum genui te; Ac ſi Deus diceret de Chriſto ſuo, quòd de voluntate ſua (quæ eſt Spiritus Sanctus) genuit eum, non de ſemine ducendo, cùm non ponit ex vtero ſine ſemine virili propter curſum ſolitum naturæ, & hoc eſt etiam in doctrina Chriſtianorum quæ non moratur in capitibus noſtris; propter hoc euenit nobis illud, quòd iuſtè patimur: Deſcribit etiam eodem modo Chriſtum naſciturum Dauid Propheta cùm dicit Pſalm.88.

Iurauit Dominus Dauid veritatem, de fructu vetris tui ponam ſuper ſedem tuã. Quod nos minimè credentes, cùm clarum videamus; minimè ſaluabimur, cùm falſum teneamus.

CAP. XXIX.

Saraceni fatentur Ieſum Chriſtum, & Mariam.

VEræ fidei lumen procul dubio (Domini mei) in omnes gentes diffunditur, & Paganorum, cæterorumque Infidelium aliquo modo corda pertingit; ſed nobis (hoc mirum eſt) nulla ratione perſuaderi poteſt? Saraceni, qui non habuerunt Legem, neque Prophetas à Deo, dicunt tot, & tanta bona de Ieſu Chriſto, quòd certè eſt magna confuſio noſtra, quia Nos Iudæi habuimus Legem, & Prophetas à Deo, qui teſtimonium perhibent de Ieſu Chriſto, & nolumus in eum credere, nec ei obedire; Ideo non eſt mirandum ſi Deus multiplicat Saracenos, & non Iudæos, quia nos Iudæi aſſimilati ſumus Diabolo, qui peccauit ex ſua malitia ſine aliquo tentatore; ſed ipſi Saraceni aſſimilantur primo parenti Adæ, qui peccauit per tentationem Diaboli, & non ex malitia ſua propterea Deus voluit liberare hominem à peccato, & non Diabolum. Omnes itaque Saraceni dicunt quòd Ieſus

Chri-

Chriſtus fuit ipſe: Meſias, quem Prophetæ prædixerunt venturum, & præponunt illum Machometo quantum ad Genealogiam fatentur: enim quod parentes, & proaui Machometi fuerunt Idolatræ, & de ſemine Agath ancillæ, & dicunt quòd Meſſias fuit filius Iſaiæ, & Prophetarum, & iuſtorum ex certa linea vſque ad Beatam Mariam Virginem Matrem eius.

De Maria verò dicunt in Alcorano de familia Adomar: dixit Angelus Gabriel ad eam. O Maria Deus te elegit, & docuit gratiam, & præelegit, ſuper Mulieres omnium ſæculorum. Et poſuit te quaſi vnum medium diuidens inter omnes terrenos, & Angelos Dei in Paradiſum deliciarum.

Dicunt etiam, quòd Chriſtus ſiue Meſſias habuit à Deo poteſtatem faciendi Miracula ſanandi omnem languorem, & infirmitatem, & eijciendi demonia, ac ſuſcitandi mortuos, & credunt omnia miracula, quæ Ieſum feciſſe Euangelia commemorant. Et hoc expreſsè teſtatur Alcoranus vbi dicit quòd Meſſias ſciuit, & ſcit omnia, & etiam ſecreta cordium; Vnde verba Machometi fuerunt talia: ſciuit Eiſe (ideſt Ieſus) omnem Librum, & libros, & omnem ſapientiam, & etiam totam Legem Moyſis &c.

Dicunt etiam de Chriſto, ſiue Meſſia; quod dum fuit in hoc Mundo contempſit diuitias, & abiecit carnales delectationes, & paupertatem dilexit, humilem ſe præ-

bendo in omnibus &c. quæ omnia conformantur dictis Prophetarum &c. nos vero quid dicimus.

CAP. XXX.

De Alcorani, & Euangelij vi ad arguendum Hebræos.

DIcunt etiam in Alcorano quòd Eiſe, ideſt Ieſus Chriſtus eſt Verbum Dei, & de hoc (ſcilicet in verbo Dei) eſt Ieſus apud Saracenos, quaſi vnum perpetuum; Ita quòd nullus alius homo vocatur hoc nomine niſi Ieſus, quem vocant Eiſe: Eiſe ego ſum ſufficientia tua, ego leuabo te vſque ad te, & purificabo te ab infidelibus. Conſiderate ergo (Domini mei) Iudæorum captiuitatem quam, paſſi ſunt iam 1671. annis, quã nos ſumus paſſuri ſemper: Saraceni creſcunt multiplicantur nos verò pauciſſimi ſumus, & in ſeruitute vbique, diſperſi à Deo noſtro; ſicut Ruben cui dixit, Non creſcas &c. nos autem non creſcimus, & illi qui ſumus inimici ſumus ſuper omnes gentes, & nil proficimus Teſtimonium multorum ſtat ſempre contra nos, ſcilicet Chriſtanorum, & Saracenorum; Alcoranus eorum, & Euangelium Chriſtanorum quibus credere volumus? Tamen meo Iudi-

cio

cio. Alcoranus nil valet, cùm manifeſtè contineat contra doctrinam; ſi compoſitores eius ignorauerunt teſtimonium. Sed quid dicemus de Euangelio? quod (ſuppoſito quòd Chriſtus, ſiue Meſſias iam venerit) nil continet contra Prophetas, & Legem noſtram, ſed eſt manifeſta omnium Prophetarum, & promiſſionum impletio, quæ in Lege continetur ſumendo ſpiritualiter, prout continet Doctrina Chriſtianorum.

Nihilominus (Domini meis Sapientiſſimi Synagogæ Doctores) ſuper his dubijs ad vos recurro, maximè ſuper primis noſtris, quæ habui à Prophetis; quia de Alcorani teſtimonio ſcio quòd quaſi nil reputabitis. Expectabo igitur omnium reſolutionem, quam ſicuti prorſus deſpero, ità maximè Chriſtianæ Religionis veritatem tenebo. Saluete. Meque alio volumine maiori qua potero temporis breuitate expectate; quòd vulgari ſermone (iuuante Domino) in lucem edere intendo, non minori robore ad maximam veſtrorum vtililitatem proficiendum.

ORA-

ORATIO.

Auctoris ad Hebræos.

SI ex hucuſque dictis, (quibus contradici non poteſt) animus in vobis non agitur, nec anima conuertitur, irrationabiles meritò vocabimini, & animalibus immundis peiores, cùm de luto fetido malitiæ veſtræ vitam ſumentes, mundæ conuerſionis honorem, immo fructum ſpernatis. Ego tamen qui rationabiles eſſe vos arbitror. Diuinam Omnipotentis Miſericordiam recepturos confido. Non enim talem perfidiæ veſtræ duritiam credo, & qualem ignorantes ſine caritate prædicant; Carnei tandem eſtis, & lumine rationis ornati, ſicuti cæteri homines, quos Deus ipſe creauit; nec ideo excluſos, & incapaces pietatis Domini vos ſupponendum quia hebræi eſtis, nam, & pro vobis quem Deus miſit, Vnigenitus Filius Ieſus Chriſtus ſanguinem ſuum effudit, cuius valorem experiri poteſtis, quotieſcumque pænitentia ducti errorem veſtrum deteſtantes ad eum confugieritis.

Et

Digitized by Google

Et maius gaudium erit in Cælis ſuper vno ex vobis pænitentiam agente, quàm ſuper Sancto ſine labe moriente: & hoc vobis perſuadere poteſtis ex eo, quòd non amplius Deus vltionum ſit Creator noſter, quemadmodum temporibus Prophetarum veteris Legis habuiſtis: eſt enim Pater Miſericordiarum, & Deus conſolationis qui conſolabitur vos in conuerſione veſtra. Quòd talis ſit, ipſum Dauid audite pſal. 32. Diligit Miſericordiam, & Iudicium: miſericordia Domini plena eſt Terra. Vnde cognoſcere vobis facilè erit renouatam Legem, & Sacrificium, cùm mutauerit Deus Vltionis ritum in Miſericordiam, & Amorem, quibus induit ſe fortiſſimè, quando reſpiciens hominum miſerias, & paupertatem deſcendit in Vtero Virginis, eo modo quo ſuperius intellexiſtis, accipere humanitatis noſtræ imbecillitatem, & peccata, vt nos redimeret iuxta Dauid verba: de Cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum: ergo dum dicit omnes, prò vobis etiam pati voluit: quem Iſaias videns è cælo delapſum, vt cunctos ſaluaret, ſic exclamauit cap. 12. dicens: Ecce Deus ſaluator meus fiducialiter agam, & non timebo. Hic eſt (ò Iudæi) quem expectabant Patres veſtri, & quem vos amplecti debetis, Ieſus Chriſtus, de quo Dauid: Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Intendi pijſſimus Deus vota poſſcentium; & venit ad ſaluandum, quem vos

vos negatis: E imiſit in os meum canticum nouum, ait Dauid quaſi dicat. Docuit me Deus Legem nouam, & populus ex vetuſtate purgauit: Et vt Legis huius nouitatem clarè habeatis; Sit Dauid ipſe Magiſter veſter. In pſalmo 18. Cæli ennarant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Totum hoc Pſalmum vobis conſiderare opus eſt; in quò tamquam in ſpeculo Legem Chriſti habebitis exploratam, dicens ergo, Cæli inennarant; explicat hic Propheta Myſterium nouæ fidei inceptum à prædicatione Apoſtolorum, qui Cæli in Scripturis vocantur: opera Manuum eius annunciat firmamentum; verè firmamentum Eccleſiæ fuerunt Apoſtoli, qui totum Mundum illuminantes, opera Dei, quæ ipſe in ſapientia, potentia, & bonitate ſua mirabiliter eſt operatus in humani generis redemptionem, propalarunt. Dies diei eructat verbum &c. donec de die in diem procedebant eloquia eorum ad incrementum fidei; Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum, non audiantur voces eorum. Nam nulli fuerunt, ex omni genere linguarum, quibus Chriſti Redemptoris doctrina non innoteſceret; In omnes partes Mundi vox Euangelica peruenit: in Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septemtrionem, & in fines orbis terræ verba eorum; multùm quidem profecerunt ſermones diſcipulorum, omnia corda illuminarunt. Et

Man-

Manſionem Dei Redimentis in medio nouæ Eccleſiæ poſitam prædicantes, ipſumDeum mirabilem in virtute ſua oſtenderunt; In Sole poſuit tabernaculum ſuum; vt totum orbem terrarum Eccleſiæ Dei Splendore ad inſtar Solis colluſtraret; ita enim humanitati coniuncto Sole Iuſtitiæ, tota Diuinitatis plenitudo in habitauit corporaliter, & Eccleſiæ fidelem Sponſum ſe præbuit, vt ipſe Dauid teſtatur: tamquam Sponſus procedens de thalamo ſuo, ſcilicet de ſinu Patris ineffabili amore demigrans aſſumpta carnis humanæ ſubſtantia, inter homines, viſibilis apparuit: Nec mirum tibi videatur Deum generaſſe huiuſcemodi filium, nam cùm ſit factor naturæ, immò Angelorum, ſuam diuinam eſſentiam inſpiciens, propriam ſibi perſonam produxit, quæ diuina ſubſtantia vocatur, non accidens, in Deo enim accidens nullo modo cadere poteſt; hanc autem perſonam, vt Mundum redimeret, in terris Omnipotens mittere voluit, vt viſibiliter miſericordia eius tangeretur, & dulciori Legis innouatione, pacis Sacramentum omnia mala expurgaret. Vidit Miſericordia Domini gentium preſſuras, & pondera peccatorum ſuſcipiens, viam noſtram cucurrit fortis expugnator inimicorum, ex dilectione ſua tantùm; nam fortis vt mors dilectio, quem nobis deſcribit Dauid, cùm dixit. Exultauit vt Gigas ad currendam viam, à ſummo Cœlo egreſſio eius;

Ad-

Adueniens autem in Mundum Dei filius hilariter deſcendit in fortitudine multa, ad inſtar Gigantis accurrens ad pugnam, & liberationem noſtram, nulla neceſſitate coactus, ſed ſponte pietate ſua ductus, & clementia: itaque paſſus pro nobis, & crucifixus reportauit triumphum, hoſte debellato, rediens ad dexteram Patris, Legem ſuam non amplius vobis, ò Iudæi, explicabo; illam enim ſatis ex Prophetis clarè habuiſtis, Legem nouam, Noui Amoris, Chriſti Myſterium, nouam Cœli viam potiorem; Nouam animarum certam, & immaculatam expurgationem; quam Legem ex ore Dauid iterum audite. Lex Domini immaculata conuertens animas; hæc eſt Lex illa præclara Euangelica, quam Immaculatus Dei Filius obſeruandam docuit, atque præcepit, immaculatos eius obſeruatores coràm Deo conſtituit, dum ab errorem vanitate ad Fidei veritatem, & vitæ ſecuritatem conuertit. Item Teſtimonium Domini fidele, dicit Dauid: cùm in hac Lege oſtendat Deus Cœleſtis gloriæ pugnus, & Fidei certæ lumen, pretioſa redens ſecutoribus ſuis præmia; Item Præceptum Domini lucidum illuminans oculos: verè illuminans, nam maiora præcepta Deus numquam tradididit, quàm hoc nouæ Legis ſuaue, lucidum, ex quo tot fideles lumine tantæ Fidei Deum intuentes, miracula receperunt; & loqui, ac ipſum corporalibus oculis videre meruerunt. In cuſtodiendis illis retri-

butio

butio multa: Non enim ſine fructu labor cuſtodientium mandata Dei; & vos, Iudæi, benè videtis, ſi vultis, quæ operatur Altiſſimus ad retributionem fidelium non vos latent Miracula Sanctorum, gratiæ, & beneficia quæ (munere fidei Chriſti) timentes eum conſequuntur; & noſtræ Legis veritatem, quæ, & qualis ſit Prophetæ veſtri non ſilent; quibus Doctrina veſtra non obijcere valet; Concludit Pſalmum Dauid dicens: Domine adiutor meus, & Redemptor meus: & in hoc vobis concludendum eſſet pertinaciam veſtram; cognoſcentibus tamdem Redemtorem veſtrum; quem Ieſum Chriſtum fuiſſe tot teſtimonia Prophetarum manifeſtè deſignant: Hunc ergo Dei Filium ſequi nulla vos dubietas impediat; Conuertimini ad eum, & conuerſionem veſtram à Propheta perdiſcite Pſalm. 21. Conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ; & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium, quoniam Domini eſt Regnum, & ipſe dominabitur Gentium. Vobis apertè Dauid exponit futurum Nouæ Legis euentum, & Chriſtianæ Fidei veritatem in omnibus confirmatam; cùm præuideret illis verbis Apoſtolos Chriſti prædicationis fructu illuminantes eorum corda, qui neglexerant, contempſerant, & prorſus ignorauerant, Deum Meſſiam Chriſtum, nunc ex toto corde fatentes tum erroris eorum grauitatem, tum Summi Dei Miſericordiam

in Redemptionem Filij ſui Vnigeniti, ad ſeruiendum Deo in delectione, & charitate; ſicut etiam ſequitur Dauid. Et ſemen meum ſeruiet ipſi, denotans futuram conuerſionem, & reuerentiam Christi Saluatores; Item eodem Pſalmo dicens: Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt Cœli iuſtitiam eius, populo qui naſcetur, quem fecit Dominus; plenè probat, Hanc eſſe generationem venturam, populum nouum fidelis Eccleſiæ, qui poſt Reſurrectionem Domini ſurrexit, annuncians ſalutem per prædicationem veritatis: populus factus eſt fidelis ex Infideli, ſeruiens vero Domino ſuo Ieſu Chriſto. Annunciauerunt Cœli hoc eſt Apoſtoli, populo nouo iuſtitiam Dei, videlicet Filium Dei, qui iuſtificat corda fidelium coram Deo Patre, & regenerans filios ſuos in terris ex aqua, & Spiritu Sancto; & ita, ò Iudæi, in Eccleſia Chriſti populus ſit electus, in plenitudine gratiæ Chriſti in hoc ſæculo, & plenitudine gloriæ in futuro, Accedite ergo ſine timore; Dauid ipſe vos vocat Pſalm. 33. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Quicumque ad Chriſtum accedit fideli, & manſueto corde lumen gratiæ obtinebit. Nolite itaque tardare (fratres mei) quia facies veſtræ non confundentur; repulſam non patiemini, verùm benignè donabit vobis petitiones cordis veſtri, & decorabit faciem veſtram,

in

in benignitate ſua; ita quòd tantæ conſolatinois gaudio ſpiritualiter inebriati, cognoſcetis lætitiem cordis, nec amplius diſperdent vos tenebræ, in quibus hucuſque ambulaſtis; Sequamini ipſius Dauid conſilia. Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus, beatus vir qui ſperat in eo. Percipite hilari animo fidem Chriſti; & guſtabitis intima experientia amorem ſuum, hoc eſt Spiritus Sancti munera, dulcedinem, & gratiam; ſuauitas namq; Dei Spiritus Sanctus eſt conſolator, dulce refrigerium, in labore requies, in fletu ſolatium, qui dat ſalutis exitum, virtutis meritum, & perenne gaudium. Guſtate quia non amarus, vt Legis veſtræ perditio, non auſterus, & moroſus, vt ſpes vana Meſſiæ, quæ vox cruciat, non crudelis, aut difficilis ſicut captiuitas veſtra vobis æterna, & aſpera; immò beatum, & ſecutum cor veſtrum conſtituet, ſi Spem, & fiduciam in eo habueritis. Si verò contra quod dictum eſt per Prophetas morem veſtrum geretis, alentes conſilia veſtra, cogitantes vana, & peruerſa in cordibus veſtris; Scitote quòd gaudium veſtrum conuertetur in luctum, & ira Domini ſuper vos vltimum poſſe exercebit: vt ait Dauid Pſal. 32. Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & conſilia Principum; & Pſalm. 35. Illi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, & non poterunt ſtare. Et quid peius vobis in Mundo inueniri poteſt,

nes, pingues obſederunt me; Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut Leo rapiens, & rugiens; Quoniam circumdederunt me Canes multi, &c. Nolite tanquam Canes amplius in eum latrare, neque vt Leones in Chriſti Fidem rugere, Immò tamquam agni Inter Innocētes lauamini; & Ieſum quærite, qui fuit Agnus Dei ferens omnium peccata, & fortis Leo de Tribu Iuda deſtruens peccati vincula, mortemque (eius morte) ſuperans; Spera in Domino, & fac bonitatem: Nolite ad illorum contendere fælicitatem bonorum, quæ per fas, & per nefas animum veſtrum oblectant, neque ſtudioſi ſitis negotiationibus ex omni parte illicitis; ſed totam ſpem veſtram in ſummo bono, quod eſt Chriſtus, ponatis, præſentem ſollicitudinem abijcientes. Sic autem in Domino ſperantes bonis operibus intenti, Captiuitatem in libertatem, ſeruitutem in filiationem, contumelias in honorem, diſperſionem in vnionem, & cætera mala, quæ pro Chriſti ignominia paſſi eſtis, in æternum gaudium commutabitis; & vt Dauid exponit: Exultate Iuſti in Domino, rectos decet collaudatio; lætitia veſtra erit ſuper omnes lætitias, & ſemen veſtrum gaudebit in æternum: Quod habetis in Pſalm. 36. Iuſti hæreditabunt terram, & ſemen impiorum peribit; tunc cognoſcetis in vobis completum, quod dictum fuit: Exaltabit vos Deus; & non vos derelinquet, ſi humiliabimini ſub poten-

renti manu eius , & Legem ſuam in cor-
de geſtantes, lapſum veſtrum dimouebi-
tis à cruciatu Infernorum, viam ſalutis
æternæ oſtendet Altiſſimus , quam per
Merita Paſſionis eius, ad Groliam No-
minis ſui vobis concedere dignetur qui
viuit, & regnat cum Patre, & Spiritu ſan-
cto Ieſus Chriſtus in ſæcula ſæculorum
Amen.

ROMA

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google